DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

DOLORIBUS

Quam,

PROPITIO NUMINE DIVINO

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERT

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO
LICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRO
FESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO
CUM HONORIS CULTU PROSEQVENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIB
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS.

D. DECEMBRIS MDCCXX.

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET,

HENRICUS BECKER,

RIGA - LIVONUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr



PROOEMIUM.



E Diverſis Stoicorum aſſertis recenſet *Lipſius in Manuductione ad Stoicam Philoſophiam Lib. 3. Diſſert. 7.* quod *Stoici omnes affectus, quorum impulſu animus commovetur, ex homine tollant* & ſimul indicat Stoicorum diſſenſionem cum *Pythagora, Platone & Ariſtotele*, qui judicarunt, *ſapientem modice affectibus tangi, non autem nullo modo tangi:* unde *Theages Pythagoricus* dixit, quod *ſapiens citra diſpendium & vituperium ſapientiæ omnino dolere poſſit:* exinde vero mox liquet, quanta diſſidia in explicandis & applicandis animi affectibus jam in antiquiſſimorum Philoſophorum ſchola occurrerint, ut omnino attentione & temperantia opus ſit, ne uni conſiderationi magis, alteri minus, quam par eſt, faveamus: ita enim porro *Epictetus in Enchiridii cap. ult.* dicit: *Philoſophiam dicere, quod ne digitum temere extendere oporteat:* & ut *Clemens Alexandrinus II. Pædag. cap. 10.* eloquitur, *nec digitum fortuito agitare ſapienti concedit ratio, ut Stoici dicunt:* aſt viciſſim de *Cardano* referunt hiſtoriæ, quod

ſecundum ipſius ſententiam *nullus philoſophus unquam ſine dolore eſſe debeat* & quod ad minimum præſtet digitum vulnerare, ſi alii dolores deeſſe videantur: proinde videtur quaſi *Seneca* mediam ſelegerit viam & dolorum quidem tolerantiam admiſerit, ſed ſubinde remedia ordinaverit, ne gravitas dolorum animum vincat & opprimat: hinc in *Epiſtola 58.* dicit: *imbecillus & ignavus eſt, qui propter dolorem moritur; ſtultus, qui doloris cauſa vivit:* & in *Lib. de providentia* acclamat: *contemnite dolorem, aut ſolvetur, aut ſolvet:* uti pluribus indolem & decurſum dolorum *in Epiſt. 78.* deſcribit: nos vix demonſtratu difficile eſſe judicamus, ſi aſſerimus, quod nullus homo ſine dolore eſſe poſſit, quod optimus philoſophus vix ita ἀπαθὴς cenſendus ſit, quin aliquoties dolorum vim & animo & corpore ſentiat: & licet *Seneca Ep. 99.* aſſerat, quod *plus oſtentatio doloris exigat, quam dolor*, tamen nullus etiam acutiſſimorum Philoſophorum erit, qui non ſub qualicunque doloris occultatione, tamen hujus gravitatem ad minimum animo ſuo tacitè comprehendat: & quamvis *Fabius* referente *Lipſio l. 2. diſſert. 22.* dixerit, quod *nemo, niſi ſua culpa diu doleat*, tamen interdum dolores adeo firmas radices habent, ut vix facile ſuis viribus quisquam eosdem evellere valeat: neque quidem ita communis hominum eſt capacitas, qua attentionem penitus ab adverſa cauſa & offenſione animi æque atque corporis abſtrahere queant, niſi quidam ſuos dolores præ aliis mitius & tranquillius tolerare poſſint: etenim poſt deplorandum lapſum dolor, utpote communis labes humana, occupavit, omniumque hominum animum atque corpus

aggreſ-

aggreſſus eſt: & quamvis multæ voluptates animum etiam detineant, tamen cum *Platone in Phœdone* dicimus: *voluptas & dolor cum ſimul eſſe non poſſint, tamen alterum alteri ita junctum eſt, ut alterum alteri continue ſuccedat:* dolore homo generatur, dolore ducitur in mundum, dolore vivit in mundo & dolore denique mundum deſerit: doloris omnia ſunt plena! dolet animus, dolet corpus! neque unica tantum doloris ſpecies, ſed multiplex eſt & Benedictus Salvator *Matth. 6. v. ult.* dicit: *ſufficit ipſi diei malum ejus*, aut vexatio ſua: quot dies, tot dolores: nulla dies ſine linea, nulla dies ſine dolore: id agnovit *Hiob. cap. 14. v. ult. tantummodo caro ejus dolore in ipſo afficitur & animus ejus de ipſo luget: Tremellius* & *Junius* in ſcholio commentantur: *dum vivit & caro ejus ſemper doloribus infeſta eſt & animo ſemper aliquid mœroris hæret, adeo hæc vita abundat & circumfluit malis:* & quis enarret dolorum humanorum multitudinem: quælibet ſcientiarum & artium facultates occupantur cum diſcretis dolorum ſpeciebus, quibus mitigandis, corrigendis aut fugandis operam adhibent: neque otioſum illum laborem eſſe judicamus, qui circa ſolidam dolorum indagationem verſatur: & quemadmodum dolores per ſpecies differunt, ita illorum etiam cauſæ diſcrepant: quis vero poterit doloribus medelam afferre, niſi illorum origines, nexus atque cauſas ſciverit: non labor, ſed grande opus & interdum onus eſſet, uno propoſito atque themate omnes & ſingulos dolores humanos explicare velle! & quis non de eo dolere & contriſtari debeat, ſi ſub dolorum evolutione tantum cumulum afflictionis & calamitatis humanæ conſpicit: Sic-

ut porro nonnulli dolores propius animum, alii vero corpus attinent, imo uti multi dolores ad Medicum forum deferuntur, ita ſatis arduus nobis videtur ille labor eſſe, qui dolores in Medicina obvios evolvere contendit: proinde tamen hæc medica dolorum diſquiſitio multiplici, imo eximio uſu ſeſe comprobat, dum omnia morborum ſchemata ſub comitatu dolorum, plus minus auctorum, progrediuntur, licet ſub emortuali & lethifero morbornm eventu aliquando contingat, ut extreme ægrotantes in ultimis vitæ terminis dolores ſuos haud amplius ſentiant, interim apparatus & comitatus morborum ſemper eſt dolorificus, quamvis dolores non ſemper ſint acuti, aut unius ejusdemque ſpeciei: & hæc notatu digna dolorum animadverſio permovit nos, quo præſenti Inaugurali Specimine brevem tractationem Medicam de DOLORIBUS exhibeamus & commendemus, ut illorum indoles magis inclareſcat & artifex eorundem origines atque nexus ſecurius, melius & efficacius dirigere queat: Deum itaque ante omnia alia humillime imploramus, quo in præſenti hoc propoſito nobis gratia ſua adſiſtat & hunc laborem utilem & ſalutarem eſſe jubeat atque permittat.

§. I.

DOlorum Familiam atque *indolem* exponentes non quidem in *grammatica* vocis evolutione mox in limine hujus tractationis hærere lubet, ſed nonnullas alias *generales* animadverſiones præmittere placet & quidem quod doctrina de *Doloribus* ſcitu perquam *digna* exiſtat, dum vix *ulla* morbi

ſpecies

species obtingit, quæ non *certam* ſpeciem certumque doloris *gradum* involvat atque *comitem* habeat; aſt licet *ipſe* quidem Dolor *genuinam* morbi *formam* non efficiat aut conſtituat, ſed rectius ad *Symptomatum* claſſem referendus ſit, tamen *hoc* Symptoma adeo *univerſale* eſt, ut *ferme* omnis morbus *aliquid* doloris contineat: quod vero dolor *ipſe* non ſit *morbus*, ex eo facile colligere licet, quoniam *omnem* dolorem *antecedit* cauſa *morbifica*, cujus *energiam* demum *ſequitur* dolor: hæc cauſa tamen ita comparata eſt, ut illius effectus *proximiores alii* ſint, quam dolores: dum itaque hi dolores aliis morboſis effectibus *ſuperveniunt*, hinc rectius dolores *Symptoma* morbi, quam *ipſum morbum* appellare lubet, ſiquidem ex *læſa* partium & organorum *functione* utplurimum iidem *dolores* provenire ſolent, uti vulgo in ſchola medica hæc *ſymptomatum indoles* eſſe declaratur: neque tamen propterea Dolorum theoria parvi pendenda eſt, quoniam illi non morbum, ſed ſymptoma morbi conſtituunt, quin illa conſideratio pro *dignitate* hujus tractationis militat, quoniam in Hiſtoria morborum vix tantæ *gravitatis* & tam *manifeſtæ* moleſtiæ aliud *univerſale* ſymptoma occurrit, quod tam eminentem *prærogativam* præ aliis tueri videtur: & hæc ipſa *ſingularis* dolorum conditio permovit *attentos* medicos, quo peculiari ſtudio cum dolorum enodatione, diſcretione & commemoratione tam *Diagnoſtica* quam *Prognostica* occupati fuerint: hinc *Hippocrates*, *Galenus*, *Avicenna*, *Aetius*, *Alſaharavius*, *Augenius*, *Cæſalpinus*, *Cardanus*, *Claudinus*, *Fontanus*, *Fabricius*, *Gordonius*, *Hollerius*, *Zac. Luſitanus*, *Platerus*, *Maſſaria*, *Walæus*, *à Veiga*, *Joſſius*, *Sebizius*, *Cellius*, *Chicotius*, *Horſtius*, *Bellinus*, *Gutierrez*, *Cattier*, & ſeorſim varii alii authores Dolores allegare & explicare ſuſceperunt: præterea non modo *craſſi* & in eximio gradu conſtituti dolores, ſed & reliqui ſinguli *mitiores* & intimiores explicatione quadam indigent, ſiquidem *interdum* hi poſteriores admodum *intricati* ſunt, cum ſatis ſæpe ad *proximas* illorum cauſas *vix promptus* pateat aditus, tam *indagandas* & indicandas, quam *tractandas* & ſubjugandas; porro attendere etiam convenit, quomodo plurimi

rimi morbi *certam* doloris *speciem* comprehendant & *ex eadem* viciſſim in ſua ſpecie & *diſcreta* indole *agnoſcantur:* ad hanc dolorum claſſem ſubinde non modo aperte & *craſſe* dolorificas ſenſationes referimus, ſed etiam *omnes præternaturales morbidos* & *moleſtos* ſenſus accenſemus, ut propterea *variæ* motuum *alterationes* inſolitæ & incommodæ dolorum numerum augeant & in hoc *latiori* ſenſu variæ *extraordinariæ* ſenſationes occurrunt, quæ tamen extra *actualis* morbi decurſum ſeſe produnt, hinc à *ſtricte* & *proprie* ſic dictis doloribus quadantenus diſcerni debent, quarum ſenſationum brevibus etiam mentionem facere lubet, cum in hac tractatione quoad *principalem* dolorum explicationem, *inſolitæ*, immutatæ & *extraordinariæ* ſenſationis in corpore obtingentis mentio injicienda erit.

§. II.

Dolor eſt *perceptio adverſe alterati tactus in partibus nervoſo-membranoſis univerſi corporis humani, à diverſa toni mutatione & partium ſtimulatione excitata:* talem ſenſu *medico* ſumendum *definimus* dolorem, quam definitionem ea propter hac occaſione *præmittimus*, quo reliqua *indoles* & explicatio dolorum magis *perſpicua* evadat; eo ipſo vero inferimus, quod *univerſum ferme* corpus animale humanum *doloribus* ſit obnoxium & quod *diverſæ* dolorum *ſpecies* in *una eademque* parte contingere queant: qvo loco mox ſignificamus, quod in *oſſa* communiter *nullus* dolor cadat, uti fuſius *Diemerbroeck. Anat. lib. 9.* *expoſuit*; niſi *dentes* aliquali prærogativa gaudeant, qui *ſenſu* præditi eſſe obſervantur, (vid. *Bohnii Exercit. Phyſiol. II. Bartholinus Anat. lib. 4. c. 12. Stahlii Pathologia.*) quæ *ſenſatio* aliquid *diſcriminis* involvit & cum *communi* ſenſu, qui in corpore humano adminiſtratur, non quoad *ſingulas* circumſtantias convenit: interim nobis hoc loco de *communi* dolorum indole & conditione ſermo eſt, ſicut hi dolores & *ſpecie* & *numero* & *qualitate* & *quantitate* ſeſe admodum penitiori & curatiori diſquiſitioni commendant & ſubjiciunt: & licet *proximius* dolor *animam* racionalem & immaterialem affligat & concernat, adeoque *corpus per ſe* non ſentiat aut *doleat*, tamen *hi* dolores, de quibus

impræ-

impræsentiarum acturi, ita comparati sunt, ut magis *perspicue* dicere queamus, quod *anima* cum dolorifica perceptione offensi & *afflicti* sui *corporis* occupata sit: propterea que *dolor* mere *moralis* distinguendus est, à dolore sic dicendo *physico*, aut qui de *corpore* alterato & *offenso* concipitur: licet perinde *moralis* dolor cum *reliquo* dolore in eo *consentiat*, quod *adversam* perceptionem & æstimationem de objecto, *animæ* intelligentis & volentis *beneplacito* contrario, involvat: hac ratione facile elucescit, quod *anima* ab omni latere *occasionem dolendi* habeat & quod *medici* æque ac *moralistæ* toto studio immensum illud dolorum mare ingredi & quantum fieri potest dolorum constitutionem atque *medelam* detegere & explicare debeant: Subinde vero memori & attenta mente tenenda est illa *conversio*, mutua relatio & ut ajunt *reactio morbi* in *dolorem* & *doloris* in *morbum*; dum *principalis* morbus *causatur* dolores & vicissim dolorum *gravitas* atque incrementum *morbi vehementiam* sustentat, confirmat atque *auget*, ut nonnunquam *periti* artifices *teneantur* dolores tales lenire atque *demulcere*, quo *reliquus* morbus posthac eo melius atque facilius *mitigari* queat, ita enim evenit, ut non modo tales *exacerbati* dolores ipsum *primarium* morbum incitent & *immoderatiorem* reddant, sed & *varia* sontica *nova* symptomata convocent; testimonio *efficaciæ dolorum* ad *provocandas* graves *congestiones*, *spasmodicas* commotiones, *convulsiones*, *inflammationes* & *febriles* complicationes; quale exemplar occurrit in *læsionibus nervorum* atque tendinum, è quo morbo, inductæ videlicet *læsionis*, gravissimi dolores oriuntur, qui *proximo* suo nexu vehementia pathemata & *symptomata* causantur; unde dolorum *efficacia* atque implicatio facile elucescit, proptereaque hæc dolorum theoria *variis argumentis* sese comprobat.

§. III.

Haud vero nobis in præsenti Specimine animus est, *principaliori* quodam proposito de doloribus *singularum* corporis humani *partium* disserere, sed potius id *primario* acturi, quo *principales* dolorum *species* harumque *conditiones* significemus: in *priori* dolores indicandi ratione non otiosus aut fugitivus

fuit

fuit *Hippocrates*, qui aliquoties & passim *Dolorum ad articulos*, ad *femur*, ad *sinciput*, ad *renes*, ad *aures*, *capitis*, *cervicis*, *coxendicis*, circa *umbilicum*, circa *vesicam*, *cubiti*, *dentium*, *faucium*, in *angina*, in *pectore*, *lateris*, *ventriculi*, *pulmonum*, *ventris*, *verticis*, *præcordiorum*, *circa maxillas*, in *partu*, *humerorum*, *lumborum*, *pedis* mentionem injicit; haud tamen & Hippocrates & Galenus penitus obliviscuntur, quin nonnullas *fonticas* dolorum *species* commemorent, distinguant atque inculcent; unde præcipue *acutorum* dolorum repetito reminiscuntur: præstat subinde in dolorum familia annotare, quomodo & *anima* & *corpus* affligantur, quam *corporis* offensionem illa *percipit* & de eadem dolorem *concipit*, hinc non nulli medicorum, velut *Willisius de anima Brutorum*, & *Charletonius in Exercit. Patholog.* dolores ad *animi passiones* sive affectus referunt: ex hac etiam sententia explicari possunt dolores *imaginarii*, quales illi sunt, quorum *Cartesius Part. 4. Princip.* & *Craanen tr. de Homine* memoriam proferunt, qui in parte à corpore *separata* & abscissa *finguntur*, uti contingit, ut homines partium *sphacelatarum* amputationem *abhorrescant*, cum *dolorem* in tali parte *mortua* sibi persvadeant: Quod vero nunc *in genere* dolorum rationem attinet, tunc illorum *causa* nonnunquam est *violenta*, vario modo inducta, de qua *Galenus Lib. de oculis c. 3.* tractat, quæ nunc *externum*, alibi *internum* corpus offendit, atque varios *gradus* agnoscit; interdum dolores à causa *spontanea* & magis *interna* oriuntur & hæc posterior iterum *diversæ* qualitatis est, quædam *aucto* motu, ad *vitalem* oeconomiam spectante, nititur, alia cum *impedito* & turbato motuum vitalium successu cohæret & denique quædam *læsionem* & offensionem intimiorem partium, *sensu* præditarum, agnoscit: quo loco mox addimus illam *generalem* & fundamentalem animadversionem, quod ad *quemlibet* dolorem *essentialiter* concursus *sensationis* pertineat & quod propterea nullus *verus* dolor obtingat, ubi sensus *languent* atque deficiunt, hinc sub *Lipothymia* atque Syncope *cessat* dolor, aut quando in ægrotantibus *mors* appropinquat & interni atque externi sensus *imminuuntur*, tunc *prægressi* do-

si dolores *evanescunt*, ita ut ratione adhuc *integra*, tamen patientes *præcedentes* actus, sitim & speciales *dolorificas* molestias non amplius sentiant; unde periti artifices lethale signum indicant declarant; Quilibet itaque dolor *animæ molestus* & laboriosus est, dum anima *sentiens* offensiones *corporis adverse* & operosè perfert, unde inter *dolorem* & *laborem* quidam convenientiam, alii vero differentiam quærunt & demonstrant: male vero *Cicero* dolorem *tantum* ad corpus refert & à *sensibus* distrahit, quando *II Tuscul.* dicit: *interest aliquid inter laborem & dolorem; sunt finitima omnino; sed tamen differunt aliquid: labor est functio quædam vel animi vel corporis gravioris operis & muneris: dolor autem motus asper in corpore, alienus à sensibus: conf. Linden Selecta Medica. XIII. §. 107.*

§. IV.

Sed missis hisce *generalioribus* præparationibus & animadversionibus nunc ipsas Dolorum *species* brevibus exponemus, è quibus nonnullæ *crassius* sensibiles sunt & à subjectis affectis indicari, *denominari*, aut sub certa *assimilatione* cum alia qualitate *physica* significari possunt; alii vicissim interdum occurrunt dolores, satis quidem *sensibiles*, sed quos ita distincte, *perspicue* & diserte homines nominare haud possunt, nisi interdum eosdem *obscurius* circumscribant, es thue ihnen schmertzlich wehe, sie wissen aber nicht wie sie es beschreiben oder nennen solten. Placet itaque *principales* & in schola medica *usitatos* atque cognitos dolores nunc quoad *Historicam* suam constitutionem pervolvere & explicare simulque illorum *causas* indicare: inter valde *crassos* dolores, qui in *eximio* gradu positi sunt, meretur omnino præferri DOLOR URENS, *proprie*, neq; per ullam assimilationem, ita dictus, qui, sicut ab *actuali* combustione & *excedeute* caloris gradu provenit, ita facilè ab *aliis* dolorum speciebus *distingui* potest: & quemadmodum *utplurimum externas* corporis partes hæc læsio offendit, ita facile innotescit, quid sit dolor *adustionis* ein Brand Schaden oder Brand Schmertzen: quamvis proinde etiam hic dolor suos *gradus* habeat, dum adustio *sicca* longe *indolentior* est, quam *humida*,

quæ poſterior aliqualem partium læſarum *eliquationem* involvit, unde *ſenſus* non adeo intenſus eſt atque *auctus*, ac in priori, videlicet ſicca aduſtione, in qua fibræ magis *ſtringuntur*, adeoque ſenſus magis *acuitur*: mitior aduſtionis dolor occurrit, quando homines ſubito decocta & juſcula nimis *fervida* avide hauriunt, hinc in faucibus, oeſophago & ventriculo urens ille dolor facile percipitur, de quo urente ſenſu dicitur: es brenne einen biß in die Hertz-Grube: inde etiam exempla conſtant de *morte*, ex ſubitanea tali *interna aduſtione* orta, uti *Rhodius Cent. 2. obſ. 49.* talem caſum allegat, de *morte ex pyro cocto devorato; conf. Voglerus Diætet. Comment. p. 288. 289. Mappius, Freinshemius, Butius de calido & frigido potu.*

§. V.

Alia doloris ſpecies eſt DOLOR ARDENS, qui tamen aliquam *convenientiam* habet cum urente & æque in vernacula vocatur ein brennender Schmertze: qui tamen in eo ab urente *diſcretus* eſt, quod non ab *actuali* igne & calore excitetur, ſed a *potentiali* cauterio pendeat, videlicet a partium, ſenſu præditarum, *acriori* corroſione; quando *cauſtica* quædam ſubjecta vel ejusmodi partes *arrodunt* & *excoriant*, vel quando *excoriatis* partibus *acria* talia & *ſalina* cauſtica ſive *acida* ſive *lixivioſa* ſuperveniunt, easdemque ſtimulant, *vellicant* atque pungunt, quam irritationem poſthac major affluxus atq; *congeſtio* ſequitur, inde *calor* in affecto loco redditur *immoderatior* & ardor præſens confirmatur atque augetur: talis internus dolor occurrit in morbis *cholericis*, qui dolor augetur, quando in iisdem affectibus *ſalina*, *acria*, *ſpirituoſa*, *reſinoſa*, *eſſentificata* remedia adhibentur, quæ partem ſemel arroſam atque *excoriatam* magis *irritant*: idem contingit, ſi *extrinſecus cauſtica* ingeruntur, velut *venenoſa*, quæ communiter vehementem internum ardorem cauſantur, als wann glühende Kohlen im Leibe, im Magen unter der Hertz-Grube lågen: ſimile quid contingit, quando *cantharides* improvide ingeruntur, *conf. D. D. Præſidis Introductio in Medicinam Practicam p. 1051. ſeq. p. 1102. ſeq. p. 1106. ſeq.* proinde etiam hic ardens dolor *ſummos* inflammationis

gra-

gradus, videlicet *Gangrænam*, sive internam sive externam, comitatur, hinc patientes conqueruntur, sie fühlten einen brennenden Schmertzen, inde etiam metuunt futuram aut proxime imminentem *sphacelationem*; qualis ardor ab *excessiva* sanguinis *congestione*, appressione & transpressione oritur, uti vicissim evenit, quando membra quædam, velut manus *solidis* partibus *fortius* apprimuntur, ut ex hac attritione tantus ardor concitetur, qui *vesicas* excitare solet: neque oblivioni tradere lubet illam observationem, de ardente sensu atque dolore institutam, quando nonnunquam sub febre *inflammatoria* & *cholerica* decumbentes in *vasis* sanguiferis eximium talem ardorem experiuntur, de quo dicunt, es bedüncke ihnen als ob ihnen brennende Stricke durch die Adern gezogen wären, qualis ardor partim a nimio sanguinis *orgasmo*, partim a nimio *toni* augmento prouenit: denique ardens talis dolor nonnunquam percipitur in *particularibus* membris corporis, de quo dicunt subjecta, es wäre ihnen als ob dieß Glied in Feuer liege, es feure ihnen der Kopf, der Arm ꝛc. qualis ardor perinde rigidam talem atque vehementem *congestionem* pro causa agnoscit: simile quid contingit in *Erysipelate* immoderatiori, ubi *ardens* hic calor concurrere observatur, qui aliquando etiam *externo* contactu exploratur & percipitur: ita enim *calor* in homine a sanguine in & per partes *solidas* in & *transpresso* oritur, quo magis itaque *hic motus* augetur, eo magis *calor* ille augescit, ut denique ardescat & in *ardorem* increbescat, hinc sub *nimio* motus *febrilis* augmento patientes *externo* contactui talem ardorem offerunt, de quo dicunt, sie haben eine brennende Hitze wann man sie anfühlet: & talis ardens dolor atque sensus in febre *cholerica* in oesophago & faucibus sese manifestat, quando patientes de hoc ardore conqueruntur, es brenne sie im Halß: cui ardori etiam eximia *linguæ* & *labiorum* ariditas & nigredo adscribitur: non minus talis ardor in inflammatione *ventriculi* & in *angina* occurrit; ut adeo hic dolor in variis casibus sese prodat.

 §. VI.

§. VI.

E numero dolorum porro nominandus eſt Dolor RODENS, PUNGENS, VELLICANS, PRURIENS, quem in vernacula vocamus einen freſſenden, beiſſenden, ſaltzichten, jückenden Schmertzen, qualis a *ſalina mitiori* roſione pendet & *leniorem* ardorem una comprehendit; quo magis itaque ſalina acrimonia *concentrata* eſt, eo facilius *ardor* ille prævalet atque augeſcit, e *mitiori* vero tali *acrimonia dolor* etiam mitior generatur: eſt itaque hujus doloris *geneſis*, quando *ſalini* humores partes *ſenſibiles* nervoſo-membranaceas immediate attingunt, *irritant* & ſtimulant, inde illa *roſio*, ille *pruritus*, quem communiter a tergo aliorum humorum *congeſtiones* ſequuntur, quocum affluxu humorum *natura* acrium & *ſalinarum* harum ſubſtantiarum temperationem, *emollitionem*, lenitionem & *abſterſionem* proſequitur, inde vero non raro oriuntur *complicationes* dolorum, qui e proſapia *ſtimulationum* & *congeſtionum* proveniunt, quales in *rheumatiſmis* & *acribus catarrhis* occurrere obſervantur: eſt itaque hic dolor pruriens perceptio roſionis, aut *corroſionis* mitioris, *nervoſis* fibrillis inductæ, quales varii dolores occurrunt in *craſſis ulcerationibus*, quas eo magis hic dolor comitatur, quo magis ſubjecta *alimentis* & *potulentis ſalitis*, ſapidis, acidis fruuntur: ita hic dolor *comes* eſt defluxionum *ſeroſarum* ſive catarrhalium & præcipue acrium intra *oculos*, *pulmones*, *laryngem* decumbentium; hinc illæ querelæ man huſte eine ſaltzigte Materie herauf, inde illæ *excoriationes* oeſophagi & intimiorum faucium, hinc ille branchus rhevmatodeus & coniunctæ excoriationes faucium, epiglotidis, ſuperioris oeſophagi: *eiusdem* indolis eſt dolor ille, qui luem & labem *veneream* comitatur, qualis in *perioſtiis* prurientem & *roſivum* ſenſum excitat: ita porro talis moleſtus dolor comitatur *ſerpiginoſas* efflereſcentias, *puſtulas* ſuperficiales, maculas *hepaticas*, *purpuram* miliarem, purpuram *urticatam* & qualescunque *cutaneas* efflereſcentias, quo præcipue *ſcabies* referri meretur, in quibus ſingulis caſibus *ſalina* talis inquinatio & *intemperies* adeo *nervoſam* cutis texturam afficit

ficit & offendit, ut pruritus ille propterea hisce affectibus quasi per essentiam annumerari videatur: quotiescunque etiam contingit, ut superficiales *lymphæ* & *seri stases* in actualem *corruptionem* delabantur, adeoque *fermentativo-salinam* qualitatem nanciscantur, toties ad *acrimoniam* hanc communicandam disponuntur & tunc eo facilius eoque molestius *rodentes* illi dolores excipiunt: Haud tamen *a nuda* tali salina *acrimonia* dolor talis pendet, sed experientia etiam comprobat, quomodo in *erysipelate declinante*, in *variolarum exitu* & cutis concretione, in *vulnerum* & *ulcerum* coalitione &c. similis *pruriens* & titillans sensus occurrat, ubi vix æque illa *salina* rosio accusari potest, hinc *subtilis* fibrillarum nervosarum *contractio*, in superficie corporis succedens, talem prurientem titillationem causatur: testimonio illius *pruritus* atque titillationis ex *imaginatione* prodeuntis, quando *sensibiles* homines de pulicum, cimicum & pediculorum morsu confabulantur, aut talia animalcula in aliis conspiciunt, mox in corpore suo ejusmodi sensus percipiunt, quasi a talibus animalibus pungerentur; quem posteriorem effectum magis efficaciæ *motuum*, quam *materiæ* adscribimus, eoque ipso comprobamus, quod dolor *pruriens* atque rodens *non semper a materia* salina & acri provocetur: & hanc eandem efficaciam motus subtiliter *strictorii* & *tensorii* pro causa illius doloris & effectus agnoscimus, quando nonnunquam homines conqueruntur, quasi partes ipsis *excoriatæ* sint, uti dicunt es sey wie ein offener Schaden, als wann alles wund und roh wäre.

§. VII.

Accedimus nunc ad Dolorem COMPUNCTORIUM sive LANCINATORIUM, qui aliquo modo convenit, licet interdum quoad *gradum* differat, dum prior ad *unum* interdum punctum tendit, posterior vero per *latiorem* partis affectæ regionem sese *extendit*: differt etiam hic dolor nonnunquam *acerbitate* & gravitate, dum *lancinatoria* afflictio quandoque ita vehemens & *immoderata* est, ut anxios ejulatus extorqueat: est vero hic dolor ita comparatus, quasi in partes *sensibiles* repenti-

pentina offensio & *læsio* cum instrumento *acuminato* & cuspidato inducatur, ut ita *punctura* aut *lancinationis* effectum illa offensio æmuletur, ac si violento modo læsio quædam inferatur, hinc dicitur ein stechender, schneidender, zuckender Schmertze: & hic dolor aliquando cum *pulsu* est *synchronus*, ut, *quoties* pulsus in aliquam partem *transit*, *toties* in eadem parte *compunctio* illa atque *lancinatio* percipiatur, testimonio dolorum *inflammatoriorum*, gradu *auctorum*, vel ad *suppurationem* vergentium, aut dolorum lateralium *pleuriticorum*, quos appellant das Seiten-Stechen, vel *acutorum* & exacerbatorum *cephalalgicorum*, de quibus dicunt, es zücke, steche und arbeite im Kopff, als ob man mit Hammern darinnen schmiedete: quo spectant *graves ophtalmiæ* & *otalgiæ*, in quibus affectibus ferme toties *acutissimæ lancinationes* contingunt, quoties *cor* contrahitur sive *pulsat*: & talis dolor pro *discretione* etiam vocatur *pulsatilis*: ubi tamen notare convenit, quod *aliquando pulsatilis* molestia obtingat, quæ tamen non cum *acuta lancinatione* procedit, uti quandoque *hypochondriaci* sub *scrobiculo cordis* versus dextrum latus talem *pulsationem* percipiunt, quæ a repentina *regurgitatione* & redundantia sanguinis in *arteriam cæliacam*, hepar ingredientem, provenit, quando *hepar* cum mucido & spisso sanguine infarctum sive *oppletum* est: interdum vero accidit, ut hic *compunctorius* dolor non semper & *constanter* cum *pulsu* cordis coincidat, nisi pars affecta quantisper *moveatur*, sub qua membri agitatione deinde lancinatoria afflictio & pulsus cordis *unum tempus* servare solent: cujus circumstantiæ exemplar nonnunquam occurrit in *capitis doloribus*, quorum compunctoria molestia tunc cum *pulsu* coincidit, quando subjecta caput *erigunt*: denique aliquando hic lancinatorius dolor *irregularis* est neque cum pulsu convenit, sed *vago* quodam modo decurrit, adeoque quandoque per paroxysmos iterum recurrit, quales inæquales compunctiones interdum *spasmodicas* commotiones comitari solent: oriuntur vero hi dolores a *rigida tensione* partium membranacearum & *fibrosarum*, ad & in quas *appellens* sanguis tam *prompte* eo

ſe *effuudere* non poteſt, ac quidem affluit, hinc quadantenus in arterias *retrolabitur* & illas momentaneas *diſtenſiones pulſatiles* & compunctorias efficit: vel evenit etiam, ut *intra* aliquam partem *copioſius congeſtus* ſit ſanguis, qui partis illius fibrillas *diſtendit* atque expandit, in quam partem ſi ex *arteria* proxima ſanguis ſe *effundit*, *momentanea* ſua impletione *præſentem* fibrarum extenſionem eo magis *diſtendit* & auget, ut in illo loco *punctura* ſive lancinatio quædam dolorifica percipiatur, quæ nihil aliud, quam *conſectarium* illius *auctæ* fibrillarum *extenſionis* eſt: deinde hi dolores oriuntur a *ſpaſtica* partium commotione & hac quidem haud fixiori, ſed magis *vagabunda* neque ſemper *totius* muſculi tractione, ſed rectius alicujus fibrillarum *faſciculi* ſpaſtica & ſimul *repetita* tenſione & hac admodum ſtrenua, *repentina* atque efficaci; inde illæ *momentaneæ* ſenſationes, quaſi partes lancinentur & cum *acuminato* inſtrumento lædantur: quando vero tales partium *infarctus* aut *toni* augmenta arteriarum *extremitatibus propiora* ſunt, tunc utplurimum compunctorii ſive *lancinatorii* dolores cum *pulſu ſynchroni* eſſe ſolent.

§. VIII.

Convertimus nos ad Dolorem TENDENTEM, TENSORIUM, TRACTORIUM, TORMINOSUM, qui ſub *diverſa* tali denominatione *unus idemque* eſt, niſi aliquando *gradu* differat & in diverſis *partibus* contingat; hic conſiſtit in *extenſione* & *conſtrictione* forti & excedente partium *fibroſarum*, tam *membranacearum*, quam *muſculoſarum*, carnoſarum, tunicacearum: abſolvitur itaque talis dolor cum *augmento* motus *tonici*: de qua conſideratione evolvantur *Celeb. D. D. Stahlii Schediaſmata de Motu Tonico vitali, Diſp. de Motibus Humorum ſpaſmodicis, de Spaſmis, de Podagra, & D. D. Præſidis Diſp. de Atonia:* quando itaqne ejusmodi partes *fibroſæ* tali *toni* augmento corripiuntur, tunc ſenſatio illa occurrit, quæ vocatur, es ſey ein ziehen, reiſſen, ſpannen, zerren, hin und herfahren in dem Gliede, & illa eſt *tractio*, quæ in *inteſtinis* torminoſa eſt, quæ dicitur reiſſen im Leib, quæ quo impetuoſior

& *fortior* eo magis sensatio occurrit, quasi pars affecta disrumpatur & *dilaceretur*, als wann die Gedärme zerreissen wolten: talis dolor est vel *vagus*, inconstans, erraticus & *versatilis*, quando tensio talis per aliquod membrum *huc illuc* subito progreditur & desultat, es wüte und tobe, fahre hin und her, als ob was lebendiges darinnen wäre, es reisse ein Glied noch gar zu Schanden: & dolor talis *comitatur* affectus *spasticos*, atque acres *rhevmaticos*, *Hemicranicos*, *odontalgicos*, *arthriticos*, *ischiadicos*, *podagricos*: nonnunquam vero hic dolor *fixus* & velut immobilis est, qui in *uno* tantum loco atque *puncto* subsistit & in illo majori cum afflictione percipitur, ita ut in tali puncto *vis* tensionis & tractionis *concentrata* sit, hinc metus *rupturæ* in tali regione imminet: qualis dolor occurrit in *colica hæmorrhoidali*, *hypochondriaca*, *hysterica*, *nephritica*, in *spasmis* mesenterii hystericis, in quali calamitate fœminæ conqueruntur es wolle ihnen den Leib voneinander reissen: hic dolor *tensorius* seorsim *discerni* potest ab *extensorio* & *distensorio*, de quo mox dicendum erit: interim utrique quadantenus etiam *conveniunt* quoad effectum *tensionis*, sive hæc sponte per modum *constrictionis*, sive aliter per modum *expansionis* & *distensionis* administretur: *Causa* itaque doloris *tensorii* est *augmentum toni* in aptis & congruis partibus, nimirum talibus, quæ *tonico* motu in *ordinario* vitalitatis statu præditæ sunt: quare hic dolor omnes illos *affectus* comitatur, in quibus eximia talia *toni augmenta* & incrementa occursant, velut immoderatiores *congestiones*, *rhevmatismi* sive acres catarrhi, *inflammationes* exacerbatæ, *spasmi* sive interni sive externi corporis: quando itaque in aliquo membro *plures* musculi *simul* tali motu corripiuntur & detinentur, tunc dolor eo *manifestior* & *crudior* est: quando per tractum *unius* musculi in *alium* locum atque fibrosam partem hic motus *discurrit*, tunc hic dolor *vagus* & volubilis est, adeoque *cursitantem* molestiam prodit, de qua eloquuntur; es laufft etwas in denselben Glied hinan, wie eine lebendige Mauß, quale quid in *clavo hysterico* sive *cephalalgia Iliaco-Hæmatitica* occurrit, aut qualis dolor & sensus percipitur

ingru-

ingruente & insultante *epileptico* affectu, quando ex *pede* aut *manu* tensio illa adscendit & mox *caput* occupat, qualia exempla recensentur a *Tulpio Lib. 4. c. 2. Borello Cent. 2. obs. 95. Rhodio Cent. 1. obs. 57. Bartholin. Hist. anat. Cent. 6. hist. 78. A. N. C. Cent. 1. obs. 80. 85. Zac. Lusit. M. P. H. Lib. I. hist. 18. p. 30. & passim* alibi; aliquando tamen ejusmodi spasmus cum maxima *contumacia unicum* locum corripit, diu detinet & velut omnes suas *vires* in eadem exercet, donec denique *defervescat*, aut contra ita *immorigerus* evadat, ut nullo modo inde depelli queat, sed denique parti, quam hactenus inhabitavit, *contracturam* & *ariduram* afferat.

§. IX.

Cum hoc dolore quoad *fundamentalem* & *formalem* rationem convenit dolor FREMEBUNDUS, FORMICANS, VIBRATIVUS, TREMULUS, ein summender, subtil zucken der, grieblender, zerrender Schmertz, qualis per *assimilationem* ille est, qui oritur ex contusione *cubiti*, e qua molestissimus talis *tremulus* & *fremebundus* dolor usque in *digitorum apices* se extendit: hinc dolor talis *formicans* a *simili* vocatur, quasi congeries *formicarum* per affectam partem discurrat; & hic dolor non parum *molestiæ* parit; sed valde *sensibilis*, minus tamen *acutus* est: habet vero ipse insuper sua *intervalla*, neque diu uno eodemque tempore atque tenore durat, sed velut per *paroxysmos* recurrit; & talis *fremebundus* dolor e prosapia *spasmorum* est, qualis dici posset, der griebel Krampf, & qui *vagis* constrictionibus partium *fibrosarum* annumerari meretur, quoniam *longiorem* partis, quam occupavit tractum, percurrit & ab una *extremitate* in alteram *vagatur*: proinde talis dolor admodum *sensibilis* atque *fugitivus* est, qui non lento gradu partes pervadit, sed *subito* ab una affecti loci extremitate in alteram properat, habet vero etiam hic dolor hanc qualitatem conjunctam, ut aliqualem speciem *stuporis* post se trahat, dum *ordinarius* sensus valde immutatur & pars velut *obdormiscere* videtur: Alius gradus doloris tensorii est CONTRACTORIUS, qui, ut ante dictum fuit, in *rigida* & contumaci *constri-*

ctione partium fibrosarum consistit, quæ diutius continuat & membrum affectum ad motus *voluntarios* & usus futuros vitales ineptum reddit, dum extendi non potest, sed *abbreviatur* & denique, ut ante notavimus in perfectam *contracturam* delabitur: talis dolor comitatur spasmos *fixos* & contumaces, nec non *convulsivos* quosdam affectus: alia vero *tensoriæ* dolorificæ sensationis species est, qua afflicti homines experiuntur extensionem, *expansionem*, distensionem & *violentam* quandam loci affecti extensoriam commotionem, qualis *torturam* æmulatur & nonnullos *spastico-convulsivos* affectus comitatur, velut *Tetanum*; aut quales dolores in *calculo renum* & *vesicæ* occurrunt, admodumque *sensibiles*, vehementes & excedentes sunt, quos attenta ingenia probe a constrictoriis tensionibus discernere possunt: ita enim ejusmodi constrictoriæ & *expansoriæ* dolorificæ sensationes & tensiones obtingunt sub *partu*, quando uterus *spastico* motu contrahitur & sub *egressu* fœtus *internum* arctum orificium uteri *extenditur*, quæ ultima *extensoria* sensatio utplurimum magis *dolorifica* est, quam altera constrictoria: est vero prioris *fremebundi*, vibrativi & *tremuli* doloris *causa nonnullarum* tantum fibrillarum in musculo aut tunica *contractio*, adeoque *incompleta* quædam spastica commotio; qui dolor, quia in *paucis* tantum fibrillis *concentratur*, eo magis *subtilis*, *penetrans* & *sensibilis* est, sed quoniam ille motus constrictorius haud *firmo* affectæ partis nititur fundamento, propterea *tremulus* est & quasi multoties *interruptus*, hinc *formicarum* cursitationem alibi æmulatur: contra vero contractorius motus utplurimum *integrum* musculum amplectitur, adeoque *potentior*, crassior & *contumacior* est: reliquus denique dolor extensorius perinde vehemens & gravis est, qui nititur insolito & *præternaturali* partium *fibrosarum* motu præcipue *tonico* præditarum, aut de præsente plane cum *spasmis* detentarum, *expansione* ulteriori, continuata tensione & *distensione*: hinc evenit, si arthritici, ischiadici aut podagrici *affectam* partem etiam remissius *commoveant* atque attingant, ut *gravissimos* dolores experiantur: quales dolorum exacerbationes illi dicuntur experiri,

periri, qui ſub *tortura* conſtituti aliunde leviter in *extenſis* partibus attinguntur.

§. X.

Ad familiam *præcedentium* dolorum referri porro meretur dolor MORDENS ſive MORDICANS, qui repentinum ſenſibilem *morſum* refert, quippe quæ ſpecies doloris per *momenta* corripit & decurrit, adeoque *celerem* alterationem cauſatur: & hic dolor ita conſtitutus eſt, ut ſi *diu* duraret, ferme *intolerabilis* eſſet, hinc *repente* invadit, ſed proinde etiam *cito ceſſat*, attamen *denuo* corripit: præterea hic dolor valde ſenſibilis eſt & *acutam* partis inciſionem ac repentinam *læſionem* cum *acuminato* inſtrumento æmulatur: talis dolor utplurimum ſub *dyſenterico* fluxu obtingit, qui non modo *intimiorem* inteſtinorum tractum affligit, ſed qui etiam *ſphincterem* ani corripit & moleſtum *teneſmorum* concurſum exacerbat: porro hic dolor ſeſe diverſis *moliminibus hæmorrhoidalibus* adſociat, quando tam in inteſtino recto, quam ani ſphinctere repentina talis dolorifica ſenſatio corripit, quæ adeo *inopinato* & vehementer affligit, ut *lipothymiæ* metus immineat: ſimilis dolor nonnunquam *hypochondriorum* viſcera tam *Hepar*, quam *Lienem* detinet, ut propter illum homines afflicti inſpirare haud queant, donec poſt brevem temporis ambitum dolor ille tranſeat & evaneſcat: interdum idem dolor *ventriculum* ſub immoderatis *vomendi* conatibus, aut *exceſſivis* vomitibus corripit, præcipue vero quando *venenum* aſſumptum fuit & adhuc in ventriculo hæret, ubi *morſus* illi acerrimi maximeque dolorifici conſequuntur: *oritur* itaque hic dolor utplurimum a *veloci* & vehemente *ſpaſtica & convellente* commotione, *aliquot* tantum fibrillas affecti loci occupante & *ſubito* conſtringente, inde illa ſimilitudo ſenſationis provenit, quaſi pars cum *acuminato* inſtrumento incidatur aut commordeatur, als ob ein Meſſer durchfahre: qualis dolor proinde ſatis ſæpe *mammas* affligit, præcipue quando *lactantes* ſubitaneo *terrore* percelluntur: quanquam vero *mordens* ille ſenſus adhuc *plus* inferat, quam *ſcindens*, tamen hic illum utplurimum

mum *comitatur*: interdum etiam solus SCINDENS dolor occursat, qui nominatur ein schneidender Schmertz, dolor *incisorius*, quasi partes *vulnerentur* & cum valde *acuto* instrumento, ut modo diximus, lædantur: & talis dolor comitatur dejectiones *cholericas* & *dysentericas*, hinc dicunt, es wolle ihnen die Gedärme von einander schneiden, ita etiam idem dolor aliquando *mammas* affligit es steche sie in Brüsten, wie mit Nadeln oder Messern: pendet hic dolor a *subtili* repentina & efficaci *constrictione spastica* fibrillarum nervoso-membranacearum; est tamen insuper hic dolor adeo *acutus* & penetrans uti dicunt, es gebe empfindliche und durchdringende Stiche, quoniam tantum numero *paucæ* fibrillæ hoc motu afficiuntur: facilius itaque hic dolor in partibus *membranaceis* & *tunicaceis*, quam *crassis* carnosis contingit, nisi illa incisoria dolorifica sensatio etiam obtingere observetur, quando sub eximio *terrore cor* tali repentina *constrictione* & particulari *spastica* tractione afficitur, hinc dicitur, es sey einem ein Messer durch das Hertz gefahren: propterea tamen *carnosæ* partes non *liberæ* sunt, quin perinde illas talis dolor invadat: *oritur* tamen etiam idem *scindens* dolor, quando *acuminatum* quoddam corpus partes *tendinosas* & *nervosas* proxime & valide *attingit*; qualis casus obtingit, si *calculus acuminatus per pelvin* Renum, per *ureteres*, per *sphincterem* vesicæ & *urethram* progreditur, ubi scindentes illæ tensiones cum maximo dolore affligunt: idem *scindens* dolor non raro *colicæ hæmorrhoidali* se conjungit, propterea que *hanc* ab *alia* communi colica *discernit*, quippe qui dolor præ *simpliciori* tensorio & *spastico* dolore longe major & *gravior* est: *mordens* denique ille sensus comitatur utplurimum dolores *intestinorum*, a *vermibus* provenientes, ita ut *sensu* magis, quam *verbis* & mordens & scindens dolor distingui queant.

§. XI.

Nunc GRAVATIVI Doloris mentionem facere lubet, qui satis *manifestus*, licet haud *acutus* est; exserit sese hic in *variis* corporis regionibus, ut in *capite*, *nucha*, *occipite* & *sincipite*,

pecto-

pectore, *brachiis*, *ventriculo*, *lumbis*, *coxendicum* regione, *femoribus* & *pedibus*, dolor hic magis *molestus* quam admodum *sensibilis* & penetrans est: consistit in gravativa, *aggravante*, opprimente, vires consuetas *onerante* & *ponderosa* sensatione, qua in affectis locis sentitur insolitum *pondus*, unde illæ partes ægrius *moventur*, aut minus facile motui *voluntario* obtemperant, sed quasi *renitentia* quadam laborant, es wåre einem dieß oder jenes Glied Bleyschwehr, als ob etwas darinnen oder darauf liege: der Kopf sey einen gantz schwehr, wolle immer herab fallen, man kônne ihn nicht recht in der Hôhe tragen, es drůcke einem in der Stirne, oder auf dem Wirbel oder im hintertheil des Haupts: Arme und Beine wåren so schwehr, daß man sie nicht heben kônne: es liege einen so schwehr im Magen und drůcke als ein Stein: es liege einem in Lenden, Hůfften, Creutz wie ein Pflock oder Stein, es drůcke einem auf der Brust, als ob es das Brust-Bein eindrůcken wolle: ejusmodi querimoniis vulgo hæc *gravativa* molestia significari solet: talis incommodus sensus, quando semel occupat *continuo* tramite procedit, donec denique cesset iterumque desinat: *supervenit* hic dolor variis morbis, velut *catarrhis*, lenioribus *rheumatismis*, fixioribus *congestionibus*, infarctibus partium, obscuris & mitioribus *spasticis* commotionibus, catarrhalibus *defluxionibus*, hinc vulgo ejusmodi molestiæ catarrhis adscribuntur, es wåren Flůsse, nonnunquam etiam *atonias* partium hic gravativus dolor *comitatur*; uti vero hic dolor satis manifestus est, quando in aliqua parte hæret, ita *alii* dolores hoc tempore non facile *evidentes* & eminentes sunt: *causa* itaque hujus doloris est multiplex, vel insolita *oppletio* alicujus partis cum *humoribus*, ut ob majorem copiam humorum & infarctum in parte affecta *hoc onus* percipiatur; vel *secessio* humorum pituitosorum *copiosior* in aliquam partem & conjuncta *impletio* illius partis, nec non *consequens* eliquatio, emollitio & *relaxatio* affectæ regionis: inde evenit ut *hydropici* propter modo dictam causam hoc dolore & sensu in visceribus abdominis laborent: vel *fixa* & contumax partis *constrictio*, ob quam illa

con-

convenienter *moveri* & applicari non poteſt, vel perfecta partis *infirmitas* & *atonia*, ob quam motus *voluntarii* convenienter in illam partem transferri non poſſunt, hinc *ponderoſa* illa moleſtia percipitur : quod vero interdum motuum *augmenta* hujus doloris cauſa ſint, teſtantur affectus *rhevmatici*, *iſchiadici*, *lumbares* & quod ille dolor interdum a motuum *defectu* dependeat, comprobat exemplum *exeuntium acute* dolorificorum *ſpaſmorum*, aut aliorum morborum *arduorum* eventus, qui cum eximia *gravativa* laſſitudine ſeſe prodit, es ſey einem alles müd, matt und ſchwehr am Leib, ut evenit poſt *ſuperatas febres malignas* aliasque valde *acutas*, poſt affectus *cholericos*, poſt alios morbos *periculoſos*, unde dicitur man hätte ſich nach dieſer ſchwehren Kranckheit noch nicht wieder erholen können, es ſey einem noch alles Bley ſchwehr am Leib : ita ſimilis *gravativus* dolor in *cephalæa* ſeſe ſiſtit, ubi partim *congeſtio*, partim *oppletio* cerebri & vaſorum capitis ſanguiferorum in culpa eſt: deinde etiam notandum eſt, quod hic dolor, qui *obſcurior* exiſtit, magis *chronicus* ſit, adeoque non tam cito decurrat & deſiſtat, quare magis in *affectibus chronicis* obſervatur, illisque intermiſcetur ; ſi vero alios & quidem *acutos* morbos non comitatur, tamen ſatis ſæpe illos *conſequitur*, unde poſt illorum morborum *decurſum* aliquandiu continuat,

§. XII.

Placet nunc *duplicis* cujusdam *moleſtiæ* & inſolitæ *morboſæ* & extraordinariæ *ſenſationis* reminiſci, quæ frequentius occurrere ſolet, adeoque debita animadverſione digna eſt, videlicet moleſtiæ OPPLETIONIS & STVPORIS, & quamvis utraque non quidem *preſſius* dicendum, aut *craſſum* & *acutum* dolorem complectatur, tamen quia ab *ordinario* & ad *vitam* atque *ſænitatem* ſpectante ſenſu abludit & *morbidis* cauſis ſe adſociat, ita hoc ordine atque loco utriusque mentionem injiciemus : quod enim primo attinet ſenſum *oppletorium*, tunc ipſe nonnunquam in *univerſo* corporis *externo* habitu, quandoque vero in *ſingularibus* quibusdam partibus ſeſe prodit : *nititur* vero hic ſenſus *infarctu*, inturgefactione & expanſione corpo-

corporis, quam *ſequitur anguſtatio* & multa inquietudo, eine Beängſtigung und Unruhe an und im Leibe: talis *oppletio* communiter cum *aucto calore* conjuncta eſt, ſicut *plethoricis* ſubjectis hæc moleſtia in *externo* corpore familiaris eſt, ob quam mox veſtimenta deponunt, aut ſtragula & tegumenta projiciunt, adeoque anxie refrigeria & levamina inquirunt & huic *oppletionis* moleſtiæ maxime expoſiti ſunt *ſanguinei* temperamenti homines: aliquando vero *diverſæ* regiones & partes corporis *ſeorſim* multo *affluxu* humorum *opplentur* & infarciuntur, velut *caput*, unde nonnunquam *rationis* perturbationes provocantur, qualis infarctus ſeſe *externis* conſpicuis ſignis manifeſtat: & talis capitis oppletio contingit in hominibus *plethoricis* & *ſanguineis*, quando caput liberiori *fervidioris* ſolis acceſſui exponunt, aut quando in humili conclavi valde *calefacto* verſantur: nonnunquam invadit talis oppletio *pectus*; interdum *lien* & *hepar* tales *inflationes* & infarctus patiuntur, ut magna propterea *anguſtia* patientes detineat: & hujus oppletoriæ moleſtiæ *cauſa* ſatis evidens eſt, quando videlicet ſanguis in ejusmodi partes poroſas *copioſius* affunditur, ea propter etiam illas magis *tumefacit* & *anguſtat*, inde oriuntur illi *morales* angores, quales *phyſicæ* anguſtationes adſunt in talibus partibus; proinde ob *copioſiorem affluxum* & efficaciorem nonnunquam transfluxum, aut ad minimum ob conjunctam *rigidiorem* ſanguinis *ap-* & *trans-preſſionem* oriuntur illi moleſti *ardores*, quorum in præcedentibus modo mentio facta fuit, de quo dicunt, es feure einem ein ſolch Glied: qualis *ardor* occurrit, ſi poſt *ſenſibilem* capitis *refrigerationem* homines valde *calefacta* conclavia intrant, hinc genæ admodum ardent: Deinde etiam moleſtia *ſtuporis* perpendenda eſt, quæ quidem *non plenariam* ſenſus abolitionem involvit, ſed *obſcurum, fremebundum* & tremulum admodum moleſtum ſenſum, ein ſummendes griebeln in den Glied, inde vacillat *ordinarius* ſenſus & conſueta mobilitas: ſi cum hac parte quicquam *attingitur*, tunc fremebundus ille ſenſus magis manifeſtus evadit, ein bremſendes Gefühl, als ob man auf viele

ſtumpfe

stumpfe Stecknadeln fühle oder trette, de quo dicunt, es sey alles so hol und voll, als ob man auf Beltz fühle: & hanc molestiam vocant, das einschlafen eines Gliedes: & sicut talis *stupor* in *externis* membris occurrit, ita etiam nonnunquam in *internis* visceribus perinde occursat: de quali molestia satis sæpe conqueruntur *hypochondriaci* & qui graves atque excedentès *dejectiones alvinas* sive *dysentericas*, sive *alias*, subierunt, quo *hypercatharses* referimus, ubi subjecta de molesta abdominis *excavatione* conqueruntur, es sey alles in ihrem Leibe so hol und leer, als ob er mit Heu ausgestopfft wäre: simile quid experiuntur subjecta *hypochondriaca* & *hysterica* interdum in *capite*, quare sibi persuadent, quasi caput *cavum* esset, der Kopf wäre ihnen so hol: comitatur talis *stupor* aliquando graves *catarrhos* capitis, hinc dicunt, wann sie reden, bedüncke es ihnen als ob sie in einen holen Topf redeten: *nititur* proinde hic stupor vel *deficiente* & insufficiente, vel *confuso* etiam motu *tonico*, qui sicut *primario* ad negotium *sensationis* spectat, ita *legitima* ipsius administratio ad *justam* sensationem contribuit; hinc vicissim omnis *tonici* motus *debilitatio* talem *stupidam* molestiam pedissequam habet, quale simplicissimum experimentum occurrit in frequenti aut nimia humida *relaxatione* membrorum.

§. XIII.

Alia sensatio si non *crasse* dolorifica, tamen *molesta*, *morbosa* & sub *comitatu* aliorum dolorum procedens est GELIDA, quæ nonnunquam in una alterave corporis regione percipitur: *gelidum* hunc sensum vocamus, quasi in *majori* & intensiori gradu *frigidum*, quasi frustum *glaciei* affectæ parti impositum esset, aut quasi aqua gelida per hanc partem effunderetur: ita interdum contingit, ut *vertici* & *occipiti*, *lumbis*, *apicibus* digitorum, *auriculis* aurium, apici *narium* talis sensus superveniat, quem nominant, es sey einem Eißkalt, als ob eine Eißscholle darauf liege, als ob eißkalt Wasser darüber gegossen sey: comitatur talis sensus molestus Cephalalgiam *hypochondriacorum* & *hystericorum* subjectorum, pathemata *nephritica*

tica & *iſchiadica*, *rhevmatica*, contumaces *catarrhos* & *congeſtiones*, aliquando *purpuram* chronicam, malum *hypochondriaco-hyſtericum* : oritur vero hæc moleſtia a *repentina*, *ſubtili*, *ſuperficiali* & particulari *conſtrictione* nonnullorum *muſculorum* cum ſuis *tendinibus* & vicinæ ſuperficiei *cutaneæ*, ut ob ſanguinem intimius expreſſum & *repreſſum* omnis *calor* in illa parte *evaneſcat* & tale ſenſibile atque auctum *frigus* occupet: Deinde alius nonnunquam dolor occurrit, qui *Excoriationem* æmulatur, ac ſi *vulnus* aut *ulcus* in affecta parte præſto eſſet: & hic eſt *mixtus* dolor, in quo perceptio circa *plures ſpecies* verſatur, videlicet adeſt ſenſus *pruritus*, *ardoris*, *excoriationis*, *tenſionis*, *inciſionis*, ob quam *multiplicationem* ſenſus ſubjecta omnem partis affectæ contactum averſantur, es thue ſo weh wie roh Fleiſch wie ein offener Schade, als wann alles wund und roh wäre: es brenne und beiſſe darinnen: talis dolor conjungit ſeſe cum *contumacibus* affectibus *rhevmaticis*, aut interdum cum *ſpaſmis fixis*, qui utplurimum in membris *externis* ſeſe prodit, uti quandoque in collo ſimilis dolor ſub *Brancho* obtingit: *Cauſa* hujus doloris iterum non ſimplex, ſed *complicata* eſt: ex parte enim *ſpaſticæ* quædam ſtricturæ & tenſiones partium *membranaceo-nervoſo-tendinoſarum*, ex parte acriores *congeſtiones* ad has partes directæ & denique *ſeceſſiones ſeri acrioris* in easdem partes in culpa ſunt, ut tam *roſivæ*, quam *tenſivæ* ſenſationes in hac doloris ſpecie percipiantur, quare vulgo hi dolores *acrioribus* catarrhis annumerantur, es ſey ein hietziger Fluß, quales *Rhevmata* eſſe ſolent: Denique hoc ordine reminiſcimur illius valde moleſti, manifeſti & crudi doloris, qui TEREBRANS vocatur, in hoc dolore præcipue *oſſa* affecta eſſe percipiuntur, ad quæ ipſe dolor pertingit; conſiſtit vero in moleſtia *pruriente*, *ardente*, quaſi oſſa perfodiantur & cum *terebra pertundantur*, es durchbohre, durchwühle die Knochen, & hic dolor cum multa inquietudine conjunctus eſt, ita ut *noctu*, quo tempore maxime *ſævit*, nullo ſomno patientes fruantur; quo magis partes *commoventur*, eo magis dolor *exacerbatur* : hic dolor communiter *Venereas* ulcerationes comitatur

mitatur, & has ſive manifeſtas ſive occultas; proinde in *acerbiori* Luei venereæ gradu concurrit & cum magna *pertinacia* continuat: non raro cum eodem dolore *congeſtorii* & *ſpaſtici* dolores, præſertim in *plethoricis* ſubjectis & quæ *floridiori* ſanguine gaudent, coincidunt; *cauſa* hujus doloris eſt, *inquinamentum venereum*, actuali *acredine* præditum & *perioſtia* præcipue *vellicans*, deinde etiam *tendinoſis* & membranaceis partibus infenſum, inde ille ſenſus *pruriginoſus* oſſium confinia affligens, qui ſub *terebrante* incommodo ſeſe prodit, qualis *vera irritatio* deinde *ſupervenientium* congeſtionum & ſpaſticarum tractionum cauſa exiſtit.

§. XIV.

Brevibus adhuc reminiſcimur doloris OSTEOCOPI & HELCODEI: prioris jam *veteres* mentionem injiciunt, ut *Hippocrates de rat. vict. in ac. IV. t. 2. Galenus de San. tuenda Lib. 3. c. 5. de ſympt. cauſ. Lib. 2. c. 5.* exſerit ſeſe hic dolor cum *interna* quadam & ipſa *oſſa*, imo *medullam* oſſium quaſi attingente fatigatione & *laſſitudine*, cum ſenſu *gravativæ* moleſtiæ & *ponderoſi reniſus* conjuncta; die Glieder wären Bley ſchwehr, man fühle eine groſſe Müdigkeit, daß ſo gar das Marck in Knochen ſcheine zu vertrocknen, man könne davor kein Glied heben und regen: hic dolor cum moleſta inquietudine conjunctus eſt, ob quam ægrotantes tenentur ſemper partem *in ſitu* mutare & in *novo* loco novam quietem capeſſere, interim poſt brevem moram denuo antiqua moleſtia invadit & adverſa quædam tenſio ingruit, quæ partem velut in rigorem ducit, unde denuo patientes requiem inquirunt, velut dicitur, man ſuche Heilſtätten: hinc circa oſſa talis *defatigatio* percipitur, haud vero terebrans & perforans dolor concurrit, ſed moleſtus hic ſenſus in *intima delaſſatione* conſiſtit: & talis dolor interdum antecedit, nonnunquam ſequitur *arduos*, graves, periculoſos, *malignos*, ſubito invadentes & repente decurrentes morbos; hic ipſe dolor, qui de oſſibus prædicatur, ita ſubinde conſtitutus eſt, ac *oſſa ipſa* doleant & *fracturæ* proximiora ſint: talis dolor porro prægreſſas *convulſiones* nonnunquam ſequitur:

ali-

aliquando subjecta ex mutationibus *tempestatum* ægrotantia & cum *calendario vivo* prædita hoc dolore laborare conspiciuntur; non minus & hic osteocopus & alter helcodeus dolor *prægressas* violentas *fustigationes* excipit: nititur hic dolor eximio quodam motus *tonici* & tensorii in musculis & periostiis *defectu*, inde illa *imbecillitas* & lassitudinis assimilatio & æmulatio, donec per intervalla *aliqualis* tensionis gradus revertatur, hinc *amissio* & *recursio* toni in hisce locis *alternant*, propterea-que non modo *defectus* toni ad hunc dolorem contribuit, sed etiam *irregularis* illius administratio in culpa est: HELCODEI doloris præ aliis authoribus præcipue mentionem facit „*Illustr. Stahlius in Pathologia*, qui dicit, quod *ipse dolor inter sim*-„*plicem dolorem & alterum illum, qui crudum ulcus aut vulnus æ*-„*mulatur, medius sit, & quem contusorium nominat, ac si a gravi* „*contusione & fustigatione pendeat*: hunc dolorem exprimunt: es thue so weh als ob man geprügelt und zerschlagen wäre; man könne das Glied vor Schmertz nicht anrühren, & si partem leviter *commovent*, mox *exacerbationem* illius doloris experiuntur: habet hic dolor denominationem suam ab *ulcere*, quasi præsente hoc dolore etiam talis læsio præsto sit, qui tamen dolor, quia æmulus est ulcerosi doloris, eapropter hoc nomine denotatur, es thue einem so weh wie Blutschwehren: exserit sese hic dolor in subjectis imprimis *plethoricis*, post prægressas *intensiores* commotiones corporis, sive insolitas ambulationes, cursitationes, equitationes, vecturas, exercitationes corporis, unde *altero* die ita *defatigata* sunt, ut membra sua ne quidem attingere permittant: *similem* dolorem persentiscunt homines, qui supra *consuetas* vires & in *excessu* pedibus manibusque operantur, quando itaque *post brevem* quietem sese denuo ad eosdem motus accingunt, tunc eosdem dolores experiuntur: oritur vero hic helcodeus dolor, quando fibrillæ nimis *extensæ* & *relaxatæ* subito *novo* efficaci motu *tensorio* afficiuntur; nisi enim *consuetus* tonus illis fibrillis *restitutus* sit, tunc ægre talis *momentanea efficax* tensionis communicatio perfertur, exinde propterea hic dolor provenit: similis dolorifica

 affli-

afflictio denique ſequitur prægreſſas iterumque *acquieſcentes ſpaſticas vagas* commotiones.

§ XV.

Poſteaquam hactenus plurimas & præcipuas Dolorum Species tam quoad *ſimplicem* ſuam conſtitutionem, quam quoad palmarias ſuas *cauſas* explicavimus, ita nunc ad *Prognoſticam* præſentis conſiderationis tractationem progredimur: & quamvis adhuc *plures* dolorum ſpecies commemorari queant, tamen eædem commode ex hactenus explicatis intelligi & illuſtrari poterunt; unde in *principaliorum* harum ſpecierum deductione acquieſcemus: ad *Prognoſticam* vero Dolorum animadverſionem ſequentes circumſtantiæ pertinent: omnes *acuti* dolores præ reliquis ſingulis eximiam *prærogativam* habent, dum affectus perquam *ſenſibiles*, mobiles, præcipites & ex parte *periculoſos* comitantur: dolores *obſcuri* quamvis *communiter* chronicis morbis adſocientur, tamen ſæpe *intricati* & *refractarii* exiſtunt: dolores *repente* ad eximium & *exceſſivum* gradum pertingentes non ſunt *boni* ominis: dolor major *obſcurat* & inſenſilem reddit *minorem*, dicit *Hippocrates Sect. 2. aph. 46.* dolor *obſcurus*, cujus cauſa manifeſta non eſt, utplurimum *ſuſpectus* eſſe deprehenditur: dolor *repentinam* virium jacturam inferens, *ominoſus* eſt: dolor *ſubito evaneſcens malus* eſt: dolor in momentaneam *inſenſibilitatem* ſe convertens, *periculum* ominatur: dolor, qui *ſtuporem* in affectis partibus poſt ſe relinquit, *pravus* eſt: dolor in *defectiva* motuum vitia ſeſe immutans *peſſimæ* notæ eſt: dolorum repentina *oblivio* non raro *mortis* præſagium eſt, wann die Patienten nichtes mehr an ſich fühlen und doch noch hart kranck ſind: dolor ſub comitatu *ſpaſmorum, convulſionum* & *febrium*, reliquos *gravitate* antecedit: dolor cum *Lipothymiis* alternans *ſuſpectus* eſt: dolor in parte externa, cum *nullo alio* ſigno ſe manifeſtans, præ aliis dolorum ſpeciebus magis *contumax* & durabilis eſt: dolor *mentis perturbationem* inferens & poſt ſe trahens ſemper *ſuſpectus* atque pravus eſt: dolor *ſine ulla mora* inſiſtens, increbeſcens & continuans *peſſimarum* conſecutionum index eſt:

dolo-

dolorum *complicationes*, tam quoad *ſpecies*, quam quoad diverſas corporis *regiones* multas alias morborum ſpecies *gravitate* antecedunt : dolores *vagabundi* perinde admodum *refractarii* ſunt, qui ſi in *uno* loco *mitigati* creduntur, mox in *alio tragœdiam* ſuam ludunt ; dolores ab *externis* in *internas* regiones facile aut ſubito *retrocedentes*, ſemper *ſuſpecti* & ſæpe *periculoſi* ſunt: dolores partium *livores* inferentes omnino *periculoſi* exiſtunt: dolores qui in affectis partibus *tumores* inſolitos poſt ſe relinquunt, *ominoſi* ſunt : dolores quotiescunque ſub *inſolita* continuatione, ſenſibiles & *eximios ardores* involvunt, *utplurimum* ſuſpecti ſunt : doloribus *antea eximiis*, ſubito & in totum *remittentibus* atque ceſſantibus nunquam confidat medicus : dolores quicunque functiones animales, naturales & vitales valde *turbant*, ſemper *malæ* indolis ſunt : dolores partium affectarum *vigorem* & *firmitatem* lædentes pravi ſunt ; dolores eximii in *ſoporoſos* affectus ſe convertentes *mali* ſunt, quando vero prægreſſis motuum *defectibus dolores ſuperveniunt*, tunc hi paulo *melioris* indolis eſſe ſolent : dolores *acuti* & acerbi *ſalutaribus* excretionibus *ſupervenientes* mali ſunt : dolores *interni* ob *nobilitatem* partium graviores & *periculoſiores* ſunt, quam *externi* : dolores, qui diu multumque *ſomnum* impediunt, pravi ſunt : dolor in omni *nobiliori* parte occurrens *ſenſibilior* & gravior eſt : dolor qui excretionum *ordinariarum turbas* & imminutiones cauſatur, tota ſua indole *pernicioſus* eſt : *nullus* dolor medico ſenſu accipiendus, *per ſe* & in ſua natura *bonus* eſt: quo magis dolores *principalem* affectum *acuunt* & exacerbant, eo magis ipſi ſuſpecti exiſtunt : plura *Prognoſtica* de doloribus conferantur apud *Antonium Conſtantinum in opere Medicæ Prognoſeos. Lib. I. c. 13. ſeq. Fieni Semiotices Part. altera Sect. 5. c. 1. 2.*

§. XVI.

Non inutilis aut ſupervacaneus labor erit, ſi brevibus nunc evidentes & ſonticos *Dolorum Effectus* & *Eventus*, qui ſi *non ſemper*, tamen *aliquoties* conſequuntur, ad *Hiſtorico-Pathologicam* hanc Dolorum explicationem adjiciamus ; & quamvis ſinguli hi effectus atque eventus non *omnem* dolorum tragœdiam

am excipiant, tamen iidem in *generica* dolorum explicatione minime obliterandi sunt: *Effectibus* dolorum annumerari debet 1) *animi* perturbatio, *morositas*, *impatientia*, *inquietudo*, *intractabilitas*, *incontinentia*, inde innotuerunt formulæ, es sind unleidentliche Menschen, es hindert sie eine Fliege an der Wand, es ist mit ihnen nicht auszukommen, man kan ihnen nichts recht machen, sie sind so sehr eigensinnig, empfindlich; ea propter 2) ejusmodi homines *faciles* sunt ad *crassa* illa animi pathemata & vitia, *iracundiam*, *præcipitantiam*, terrorem, timorem: 3) *causantur* subinde dolores gravem *inquietudinem* & *inconstantiam* in toto vivendi genere, sie fallen von einem auf das andere, suchen überall Linderung: 4) porro dolores ejus *efficaciæ* sunt, ut morbos præsentes magis *acuant* & *exacerbent*, inde contumax illa *relatio* morborum in dolores & dolorum in morbos elucescit: 5) multum etiam dolores contribuunt ad *virium dejectionem*, ut præ *acerbitate* & gravitate illorum *languor* & *torpor animi* occupet, sie werden vom Schmertz gantz verdrießlich und matt: 6) præterea dolores admodum *somnum* turbant & *agrypniam* conciliant, adeo ut sub reliqua *propensione* in somnum, tamen dolores valde impediant, quo minus patientes obdormiscere valeant, hinc eo magis *vires* vacillant & concidunt: 7) non parum etiam dolor *appetitum* offendit & *concoctionem* impedit, ut præ dolore patientes alimentorum assumendorum *obliviscantur*, cibos *aversentur* & fastidiant, aut nonnunquam plenariam *nauseam* experiantur: 8) disponit frequens & eximius dolor ad *insomnia terrifica* & horrida, quando interdum somnum capessere licet; ubi tamen somnus *interruptus* & turbulentus est: dum vero dolores *animum* inquietum, impatientem & fastidientem reddunt, ita hic sub turbulento somno diversas tales *alienas* & adversas *ideas* format: 9) aliquando dolores ad *deliras* mentis motiones atque perturbationes disponunt, ut præ *gravitate* dolorum, quibus tota *intenta* est anima, hæc *ordinis* in *moralibus* negotiis observandæ obliviscatur: inde illa dicteria innotuerunt, man hätte sich vor Kopff-Schmertzen nicht besinnen können, man hätte

vor

vor Zahn-Schmertzen rasend werden, und wieder die Wand lauffen mögen, uti *Hoechstetterus decad. 9. cas. 3. dementian post dentium dolorem* describit: 10) dolores nonnunquam causam & occasionem ad *animi deliquia* suppeditant, imprimis si subjecta *sensibilia*, si dolores in *parte sensibili*, si dolores *acuti* & *impetuosi* fuerint: 11) dolores interdum causantur acerbiores *spasticas* commotiones, 12) quandoque immoderatas *congestiones*, 13) aliquando *convulsivos* motus, nonnunquam 14) etiam *febres*: 15) dolores *contumaces*, diuturni & impetuosi post se relinquunt *partium* affectarum *enervationem* & infirmitatem, quo minus prompte & efficaciter ad consuetos usus applicari queant: 16) aliquando *consequuntur* dolores eximios perfectæ *paralyses*, aut quandoque 17) *stupores*, hinc dicunt, der Schmertz hätte das Glied gantz voll und taub gerissen: interdum consequuntur 18) *anestesiæ*, quasi partes omni sensu destitutæ sint, man fühle nichtes in einen solchen Glied, es sey gantz todt und erstorben: 19) accidit etiam ut prægressos graves dolores *exsiccationes*, emarcescentiæ, particulares *tabidæ* consumptiones sive *ariduræ* sequantur, conjuncta 20) expiratione *caloris naturalis* & cessatione ordinarii usus: 21) imo plane actuales *contracturæ* nonnunquam excipiunt, cum conjuncta *rigida* emarcescentia: 22) aliquando consequuntur partium *infarctus*, 23) aut suspectæ *indurationes* 24) vel *œdemata*; imo historia practica docet 25) quomodo quandoque dolores proxime *actuales corruptiones* sive *ulcerosæ* sive *sphacelosæ* consecutæ sint.

§. XVII.

Præmissæ huic *Historico-Pathologicæ* Dolorum explicationi brevibus adhuc nonnullas considerationes *theoreticas* adjungimus & mox indicamus, quod dolor *primario* de *anima rationali* & *sensitiva* prædicari debeat: etenim doloris *formæ* non in *passione principalius*, sed in *actione*, videlicet in *perceptione & sensatione* consistit; unde non male dolor etiam vocari potest *sensatio adversa in corpore humano*: ast de *corpore* prædicari haud potest, quod *sentiat*, sensatio enim est *rationalis* perce-

ptio objecti *corpori* applicati: corpus enim ut *materia* nihil percipit, sed sine ulla attensione *patitur* omnes extraneos & *adventitios* insultus: neque etiam ulla ratione *spiritibus* imputari potest, quod *sentiant*, cum ad sensationem absolute *ratio* requiratur, quam *spiritibus* adscribere velle *ridiculum* esset, hinc *rationalis* anima sentit id, quod *corpus* humanum *attingit* atque *afficit* & si ipsamet suum corpus cum *excedente* motuum gradu instruxit, tunc & ipsa etiam sentit in suo corpore quod excedit: hæc anima cum *sensu* per totum suum corpus *activa* est atque vigilat, id quod latius exposuit *D. D. Præses in Disp. de Sensu Vitali*, ubicunque itaque *corpus*, ubi *sensus* adest, afficitur, ibi *anima* hanc offensionem advertit & quidem *percipit* illam offensionem in *affecta* parte,& percipit etiam *in capite*: dolet enim *pars* corporis & inde ipsa anima in *cerebro* turbatur: ad hanc perceptionem utitur anima *nervis*, neque tamen *spiritibus* indiget, cum tantum mediante nervorum *tensione* aliunde provenientes vel auctas commotiones & *alterationes* observet atque percipiat: differunt vero hæ *sensitivæ* perceptiones prout *alterationes* inductæ & *gradu* & *specie* discrepant; nam aliquando *ab extra* partes *sensibiles* offenduntur,vel ab *humoribus* nimis *acribus* vel nimis *spissis*, vel nimis *copiosis*, ita ut nimis potenter *oppleantur*, tendantur, premantur & *extendantur*: vel quandoqne ipsi *motus* in hisce partibus *alterati*, *dolores* specie differentes caussantur: exinde concludimus, quod *primario* dolores sint *actus animæ*, qui tamen requirunt aliquam *causam* & quidem *talem*, quæ *corpus* attinet & attingit: sunt vero subinde talium caussarum *effectus* in corpus substratum *diversi*; alia enim corpus *mitius*, alia *potentius*, alia *hac* specie *acredinis*, alia *diversa* afficit & offendit: *prout* itaque *objecta* afficiunt organa *sensoria*, ita *perceptio* & dolor *discrepat*: & dum omnes sensus *tactu* nituntur, ita necessario *dolores* nituntur *alteratione tactus*, quamvis contrarium sentiat *Bohnius de offic. med. dupl.* ubi de doloribus mitigandis agit: proinde notare convenit, quod *sensatio* animæ *gradu* differat, nam licet illa *perpetuo* sensu utatur in suo corpore, tamen hic sensus non semper *ita crassus* & eminens est, ut molestias & *dolores* creet; ita enim v. g. in *ventriculo*

perpetuo

perpetuo adſunt *reliquiæ* ſalinæ & aceſcentes, quas *ſubtili* ſenſu anima percipit & tali quidem, qualis *œconomiæ vitali* reſpondet, ſi vero bilis *acris* effuſa eſt in ventriculum, ſi *emeticum* aut *venenum* ingeſtum, tunc arroſiones illæ internæ *craſſiori* & ut ajunt, reflexivo ſenſu percipiuntur: ſimile quid contingit cum *motibus*; etenim *ordinarium* toni gradum in partibus haud *craſſa* ſenſatione percipimus, ſi vero hic tonus vel in *exceſſu*, vel in *defectu* alteratur, tunc talem alterationem magis eminenter & *evidenter* obſervamus: qua conſideratione non modo *formales* dolorum rationes, ſed ſpeciales etiam illorum *diverſitates* nituntur.

§. XVIII.

Sicut itaque animæ rationalis perceptio dolores *formaliter* & *primario* efficit, ita *eadem* anima non raro *primas* & *proximas* cauſas atque occaſiones ad concipiendos dolores ſuppeditat; ipſa enim ſatis ſæpe *motus* illos, quibus etiam *ſenſus* nituntur, *auget*, aut *irregulariter* adminiſtrat; *ipſa* etiam aliquando motus *imminuit*; ubique tamen ob *certam rationem* hæc motuum augmenta & decrementa adminiſtrat: inde oriuntur congeſtiones, inflammationes, ſpaſmi & convulſiones, nec non diverſi gradus imminuti toni: ſub quibus motuum *augmentis* varii *ſcopi* hærent, velut diverſæ *excretiones*, humorum *reſolutiones* & *præparationes*, aut *aliorum* adverſorum objectorum ſive *materialium*, ſive *idealium* remotiones: interim negandum non eſt, quod ſatis ſæpe anima *minus neceſſarios*, *ſuperfluos & erroneos* motus exerceat, adeoque *ſupervacaneos* dolores cauſetur; licet æque ſub ejusmodi *erroneis* actionibus, ſchematibus atque doloribus *certa intentio*, certusque reſpectus atque *ſcopus* lateat; quo loco etiam ſignificamus, quod dolores *interdum* nexu *partium* nitantur, qui *conſenſus materialis* tamen non *ultra ſuam ſphæram* extendendus eſt; nam *vulgaris* provocatio ad conſenſum generis nervoſi nimis *exceſſiva* & *infirma* eſt; *proximior* vero talis connexio in *cauſali* explicatione plus veritatis involvit: deinde noſſe etiam convenit, quomodo diverſæ prædictorum motuum congeſtoriorum, inflammatoriorum, ſpaſti-

corum & convulsivorum *consecutiones* & *effectus* ad multiplices dolorum *species* ansam præbeant; eo itaque pertinent humorum *affluxus* ad varias partes, *secessiones* humorum in varia loca, *stagnationes, oppletiones, infarctus, corruptiones, &c.* neque tamen propterea *materiis* deneganda est aliqualis *efficacia* ad *invitandos* & causandos dolores: inde enim maxime culpandæ sunt materiæ vel *quantitate*, vel *qualitate* peccantes: quoad quantitatem imprimis *abundantia* attentionem meretur, quæ nimia sua *oppletione* & *distensione* ad dolores disponit: quoad qualitatem alia materia nimis *crassa*, alia nimis *subtilis* & denique nonnulla in eximia *intemperie* constituta est & hæc posterior *sensibilibus* partibus varias vexas inducit, ut priora qualitatum vitia sub *motuum* connubio variis *alterationibus* & doloribus ansam præbent: Haud porro negari potest, quod sub extraordinaria *salutarium* finium prosecutione satis sonticis interdum *doloribus* causam & occasionem suppeditet *natura*; interim dolores *nihil ad rem faciunt*, ut ita facile resolvi possit illa quæstio, *an dentur dolores salutares*, cum nullus dolor *in se* spectatus *ullam salutem* afferat, sed cum rectius omnis dolor, *medico* sensu accipiendus, naturæ *adversus*, molestus, incommodus & perniciosus existat; est interim sæpe dolor *inevitabile* consectarium *salutarium* quarundam commotionum, promotionum, emotionum & præparationum: neque tamen propterea *ipsi* dolores has *commotiones*, evacutiones &c. *perficiunt*, quin rectius interdum tales *concurrentes* dolores, illos salutares effectus & eventus *impediunt*: unde *Voglerus de valetudine hominis cognoscenda c. 44. §. 3. & 4.* non satis apposite ex eo argumento dolores *salutares* nominat, quia interdum *crisibus salutaribus* dolor conjungitur, *dolor* enim & *crisis* inter se non *confundi* debent, neque crisis *effectus* est doloris, sed dolor est *consectarium motuum* crisin promoventium & absolventium: exinde liquet, quod dolor sit *inseparabile* & inevitabile *accidens*, quod natura haud *intendit*, interim adeo absolute *avertere* non potest: haud vero nobis hoc loco placet *specialissimas* illas considerationes, quæ ad explicationes *motuum*, dolores

res caufantium, aut *materiarum* dolores provocantium fpectant, evolvere; fufficit illa hoc loco fufius indicaffe, quæ ad dolorum *proximiorem* animadverfionem pertinent: hoc vero minime oblivioni tradere debemus, quod natura ob *longinquam* & *infructuofam* dolorum tolerantiam, denique neceffarios motuum & fenfuum gradus *amittat*, inde tales dolorum *finiftri* eventus oriuntur, quorum modo mentio facta fuit.

§. XIX.

Supereft ut adhuc in compendio *Practicam* Dolorum explicationem fubjungamus, pofteaquam in præcedentibus quoad *præcipuos* refpectus *Hiftoricam* & *Pathologicam* illorum animadverfionem fubminiftravimus: quamvis vero dolores unum e *principaliffimis* Symptomatibus exiftant, tamen & illi congruam *medelam* & mitigationem poftulant, unde hoc ordine indicabimus, quomodo medicus & fecure & perite dolores tractare debeat; aft cum in cura dolorum & frequentes & grandes fæpe *errores* occurrant, hinc ante omnia alia fignificabimus illa tentamina; quæ doloribus rectius *obfunt*, quam profunt: *cavendum* itaque eft in dolorum cura ab omni *impetuofa* & rigorofa evacuatione, quæ *motus* æque ac *materias*, dolores illos provocantes, magis *exacerbat*, hinc utplurimum ipfæ *immoderatæ* excretiones non leves aut obfcuros, fed *fonticos* dolores caufari folent: nocent *prœmaturi* & *indifcreti* ufus *nervinorum* remediorum, quæ in tragœdia dolorum nervis *roborandis* ex *falfa* quadam opinione interdum dicantur, qnafi nervorum *imbecillitas* primaria & perpetua dolorum caufa exiftat: obeft præceps & *fimultanea* dolorum *oppreffio*, cum *extrema* talis abolitio variis confufionibus & *corruptionibus* morborum confequentibus anfam præbeat: officit *præmatura* dolorum profligatio, quando videlicet *principalis* præfentis morbi caufa nondum *præparata* & ex parte *fubjugata* eft: nam *infida* illa eft morborum cura, quæ *fubito* & *promifcue* in *primis* acceffibus fymptomata aggreditur, & *radicem* mali intactam relinquit: omittantur remedia *acria*, *concentrata*, valde fpirituofa, quæ materias noxias in

intemperie ſua magis confirmant, partes *violatas* magis *ſtimulant*, humores magis *turgeſaciunt* & *motus* exacerbatos magis *exaſperant*: abſit *liberalis*, indifferens & copioſus uſus *Camphoratorum*, *crocatorum & myrrhatorum* remediorum, tam *interne*, quam *externe* oblatorum: ſeponantur remedia *nimium emollientia*, relaxantia, humectantia, quæ quidem *ſenſum* doloris leniunt & *demulcent*, ſed neque *cauſam* doloris *conſtanter* aut *ſæpe* tollunt, neque *ſecurum* effectum promittunt, dum ſæpe ſuſpectæ *atoniæ*, laxitates & *intumeſcentiæ* conſequuntur: nocent præcipitanter, promiſcue aut copioſe oblata *vulgata* refrigerantia, quæ reliquos *ſalutares* motuum vitalium proceſſus atque ſucceſſus graviter turbant: excludantur *communia* & *potentia* adſtringentia, quæ neque *motibus* neque *materiis*, dolores cauſantibus, ſatisfaciunt, ſed potius illos effectus *reſolutorios*, *præparatorios & excretorios*, qui doloribus *tranquillandis* quadrant, impediunt atque *perturbant*: & licet *interdum* nonnulli *defectus* motuum vitalium certas dolorum ſpecies cauſentur, tamen illa adſtringentia *minus ſecure* deficientes illos motus *reſtituere* adjuvant: nocet *ſimplicioris aquæ* nimis *genericus* indiſcretus & copioſus internus & externus uſus: nocet *promiſcuus lactis* uſus, quo mediante utplurimum ſenſus *hebetatur*, cauſa vero non tollitur: nocet *vulgaris volatilium* remediorum uſus, quæ ex communi *nervino* encomio adverſus dolores ordinantur: abſit *frequens balneorum* uſus: nocet etiam *promiſcuus* & *præceps* uſus aquarum ſubterranearum: obſunt *externa ſulphurata* ſubito & copioſe adhibita: officiunt *nimis promptæ* cauteriorum commendationes & quidem in *plurimis* dolorum ſpeciebus: omnium maxime vero nocent *nimis præcipites*, frequentes & copioſæ *narcoticorum* oblationes: abſint *confuſæ* veſicatoriorum ordinationes: ſed ſubinde etiam perniciosa eſt *nimia cunctatio*, quando dolores nimium *urgent*, ubi utplurimum tunc adeo dolores *principalem* morbum hujusque cauſam exaſperant, ut difficile deinde ſit eidem morbo ad vota prompte mederi poſſe: nocent remedia *minus experta*, ſed magis *empirica*, quæ utplurimum ſiniſtros ef-

fectus

fectus edunt: nocent *corrosiva*, valde acida & salina fixa, quæ multis viis & modis *causis* dolorum sæpe *patrocinantur*: nocent etiam narcotica *extrinsecus sensibilibus* partibus applicata: nocet denique utplurimum *palliativa* dolorum cura, quæ *effectus* illos in præcedentibus indicatos & *sinistros* dolorum *eventus* promovet, invitat & accelerat.

§. XX.

Nunc ad *Positivam* dolorum curam progredimur, quæ, quo magis ad *fundamentum* pertingat, ante omnia accuratam *causarum*, dolores invitantium, notitiam præsupponit, quoniam nimis *suspectum* tentamen est, *ipsos* dolores *confestim* subjugare velle: & dum *quilibet* dolor *peculiarem* suam causam habet, ita *hac* sublata, eo facilius ipse *dolor* cessat: proinde vero consultius est, quando ejusmodi causa *moderate* tractatur & ab omni *impetuosa* aggressione arcetur, cum utplurimum *immoderata* commotio dolores *exacerbet*: pessima proinde illa est tractatio dolorum, quando cum *fugitiva narcosi* sensus obtunditur, sed eo ipso causæ *via* atque *occasio* paratur, quo *perniciosos* suos effectus continuet, cum *minime* sufficiat tantum *perceptionem* alterationis *stupefacere*, unde non nisi valde *suspecta* morbida consectaria oriuntur, velut ominosæ motuum *desertiones*, periculosæ *stases*, perniciosæ *corruptiones* & reliquarum *salutarium vitalium* functionum graves *depravationes*: hinc in cura dolorum in *plurimis* casibus minus securum esse judicamus, quando artifex *subito* ad *sensum* doloris suam therapiam dirigit; præstat propterea vel *motibus* vel *materiis* illis succurrere, quotquot dolores de præsenti causantur; hinc & *curatorie* & *præservatorie* medicus *congestionibus*, *inflammationibus*, *spasmis*, *rhevmatismis*, *convulsionibus*, *cacochymiæ*, bilis & seri *acrimoniæ*, *infarctibus* viscerum &c. subvenire debet, ita eveniet, ut sæpissime doloribus *proxime* & *specialissime* mederi necesse haud sit, cum *principales* illæ causæ *mitigatæ* sint: inde nonnunquam *VeneSect.* nonnullos dolores & *curant* & *præservant* & *mitigant*, præcipue quidem in casibus, ubi sanguinis *plenitudo*, *spissitudo* & *orgastica* commotio ad consequentes dolores

ansam

ansam præbet: interdum *laxationes* & alvinæ *abstersiones*, modestæ *diaphoreses* & *diureses* doloribus subveniunt, quando cum hisce evacuationum speciebus vel materiæ *impuræ* educuntur, adeoque corpus *purgatur*, vel nonnunquam *motus* a locis affectis *avertuntur*, vel *affluxus* humorum particulares *discutiuntur*, & ita per consequens dolor *inde ortus* mitigatur: aliquando oblationes remediorum *lenientium*, *diluentium*, *præcipitantium*, *absorbentium & temperantium*, dum vel nimias *stricturas* demulcent, vel nimis *acres* materias involvunt, dolores urgentes tranquillant, ut nulla *positiva narcosi* opus sit: quandoque *promotiones* subjectorum *adversorum*, varias *sensibiles* partes *offendentium*, ad promptiorem & leniorem *evacuationem*, dolores avertunt, testimonio excretionis *calculi* & calculosi recrementi, nec non *vermium* similiumque pravorum subjectorum: multo minus negligenda est promotio *salutarium Hæmorrhagiarum* spontanearum, quarum *perturbationes* aut plenariæ *suppressiones* & numero & specie multifariis *doloribus* ansam præbent; testimonio *Hæmorrhagiarum narium*, cum quibus varii dolores in *capite*, *collo* & *pectore* cohærent: aut *Mensium*, quorum *turbæ* multiplices universi corporis *dolores* causantur, aut denique *Hæmorrhoidum*, quæ in *omni* sua *depravatione* variis doloribus viam sternunt: ejusdem tenoris est, quod artifex aliquando sufficienti humorum *mobilitati* & partium *humectationi* atque *flexilitati* studere debeat, quarum qualitatum *defectus* perinde nonnullos dolores causantur: præterea quandoque internæ & externæ *resolutiones* atque *discussiones* dolores in illo casu mitigant, quando contumaces humorum *affluxus*, *stagnationes* aut *stases* dolores quosdam invitant: ita etiam nonnunquam interna & externa *emollientia* doloribus mitigandis quadrant, quando *duri infarctus*, rigidæ *constrictiones*, humorum *occlusiones & impastationes* doloribus consequentibus causam dederunt; multum etiam juvat in hac dolorum cura *motuum vitalium* indolem recte perspectam habere, quo illis *dirigendis* compos sit artifex, cum in dolorum familia major

jor & *dignior* respectus sit *motuum*, quam *materiæ*, interim *minime* materiarum *concursum* ad dolores causandos excludimus.

§. XXI.

Utut vero prædictæ causæ ad corporis *morbosas* qualitates spectant, tamen præter has adhuc aliæ dantur, quæ plus & proximius *animam* concernunt: ex hisce præcipuè individualis *sensibilitas* subjectorum notatu perquam digna est: etenim interdum homines *mollioris* animi ex *imaginatione* dolent, aut per imaginationem veros dolores sibi *contrahunt*, aut alios præsentes dolores *exasperant*, ut quotiescunque de dolorum acerbitate cogitant, toties dolores exacerbari percipiunt, quales ejusmodi homines sunt, de quibus dicunt, daß sie vor Einbildung kranck sind: & talium dolorum mitigationem in ipso ægrotantis *animo* artifex suscipere debet: quo multum contribuit, si *animus* cum jucundis & *acceptis* objectis occupatur, ut dolorum subinde *obliviscatur*: quare evenit, ut amicæ confabulationes animum *detineant*, quo minus doloribus concipiendis & ut ajunt *percipiendis* intentus sit, inde nonnulli *tam diu* nullos dolores sentiunt, quamdiu iidem cum *amico* commercio & colloquio occupati sunt, quando vero amici discedunt & *soli* relicti ægrotantes cum afflictione sua occupati sunt, tunc *denuo* dolorum suorum immanitatem percipiunt: inde fluunt etiam illa tentamina, quando dolores cantibus demulcere quidam contendunt, quo spectat *Macrobii* dicterium in *Somnio Scipionis Lib. 2. c. 3. habitus animi cantibus gubernatur, ut & ad bellum progressui & item receptui canatur cantu & excitante & rursus sedante virtutem: dat somnos, adimitque nec non curas & immittit & retrahit: Iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur:* uti *Gellius Noct. Attic. Lib. 4. c. 12.* ischiadicum dolorem *musica* mitigatum recenset: ita *Aldrovandus de insect. lib. 10. fol. 621.* refert, quod cantus podagricos & ischiadicos dolores leniat: quam vim musices adversus morbos & dolores *Rhodiginus* ex *Asclepiade, Xenocrate, Thalete, Trepando, Herophilo* latius explicavit: in tali itaque dolorum conditione præstat omni *moderata* ratione atque methodo animum

tranquillare & a nimia dolorum *attentione*, intentione & intensione avertere: deinde etiam ratio habenda eſt efficaciæ & energiæ *animi pathematum* ad invitandos & augendos dolores, quare ſæpe occaſio obtingit, quo illi *pathetici* motus antea *leniantur* & mitigentur, alias dolorum reliqua cura non ſatis *ſecura* erit: pro hac moderatione patheticarum commotionum utiliter adminiſtranda, partim *moralia*, partim *pharmaceutica* auxilia proſunt & hæc *ultima* non alia ſint, niſi *lenientia*, *temperantia* & modeſte *analeptica*: præterea etiam *conſuetudinis* ratio habenda, ſiquidem perſæpe dolores e fundamento *hæreditariæ diſpoſitionis & habitualium* motuum fluunt, ad quam claſſem referri meretur illa *particularis & perſonalis* qualitas, qua varii homines ſecundum imminentem *tempeſtatum* mutationem diverſos & eximios *dolores* ſentiunt, unde *calendario vivo* præditi eſſe dicuntur; quæ circumſtantia uti principaliori cauſandi ratione *motibus* magis nititur, quam materiis, ea propter in tali caſu *prudens* artifex cum *motibus* bene verſari ſciat, qui *moderata* & ſecura *lenitione*, *temperatione* & *ſedatione* indigent; proinde etiam cavere convenit, ne e reliquis cauſarum fontibus talia admittantur, quæ illas *anomalias* motuum citius *invitant* & alliciunt: quo loco adhuc monere placet, quomodo in *quibusdam* caſibus etiam artifex teneatur, quo in *dolorum* mitigatione curam ſuam *inchoet*; hos *reſervatos* tamen caſus *minime* in *regulam* convertere & ad *generalem* indicationem ducere decet: quodſi vero dolores *nimis rebelles*, immorigeri & *extremi* fuerint, ut ob illorum *vehementiam* reliquus *principalis* morbus magis *augeſcat*, tunc *præmittenda* dolorum mitigatio locum invenit, quod inter practicos ex aliis *B. Bohnius l. c.* condigne inculcavit: ſed in hoc caſu iterum *prudentia* opus eſt, ne minus ſecura & *perverſa* remedia pro tali dolorum delicata & intricata mitigatione ſeligantur.

§. XXII.

Ad *ipſos dolores* tranquillandos præcipue *duo* remediorum genera pertinent, unum *mitius* & ſecurius, alterum vero cum *majori* circumſpectione uſurpandum; *prioris* ordinis ſunt *le-*

nientia

nientia & *emollientia*, *humectantia* & qualitercunque modeste *relaxantia*, sive *paregorica*; qualia lenientia & *interne* & *externe* prosunt, dum nimias *stricturas* & tensiones *relaxant* & suspectas *acrimonias* elubricant: cavendum tamen est, ne eadem facilius aut *liberalius* adhibeantur, ubi *defectus* motuum ad dolores disponunt: *alterius* classis sunt *anodyna*, e quibus aliqua *mitius*, alia vero *potentius* operantur: rectius itaque artifex egerit, si ad dolorum curam *mitiora* seligit; haud enim securum est mox ad *cruda* opiata confugere, & licet medici Sylviani & Willisiani non medicos se esse mallent, quam opio carere, tamen usus & dies docet, quid juvet cum *simplicibus* opiatis *circumspecte* procedere & quid damni afferat tam *confestim* ad illa confugere: de qua consideratione conferatur *Celeb. Stahlii Disp. de impostura opii*: interdum remedia *remissius* refrigerantia doloribus compescendis quadrant, quando aliqualem humorum *affluentium*, dolores causantium, *repressionem* provocant; id quod etiam valet de *mitioribus adstringentibus*: cavendum tamen est, ne hæc remedia *nimis præcipitanter* & promiscue ordinentur: neque etiam *balneis* & *thermis* virtus illa denegari potest, qua *aliquando* dolores minuunt aut demulcent, unde sæpe aquæ temperatæ & congruæ subterraneæ *arthriticorum*, *rhevmaticorum*, *ischiadicorum & podagricorum* solatium esse deprehenduntur: aliquando etiam *camphorata & crocata* dolores *temperant*, modo eadem ad *justum* affectum & *in justa formula* applicentur, nam non raro contingit, ut spiritus vini Camph. dolores præsentes *augeat*: hinc camphora in *linimentis*, *unguentis*, *emplastris*, *cataplasmatibus* frequentius & efficacius dolorum mitigationes promovet: neque experientia *chirurgica* sufficientibus *testimoniis* destituta est, quod *cataplasmata lenientia* efficaciter dolores mitigent: hinc etiam *clysmata emollientia* multos dolores *in abdomine* obvios cum multo fructu leniunt, quæ propterea inter alia dolores mitigantia remedia admodum probamus & commendamus; neque penitus *Castorio* laus deneganda est, quod

 extrin-

extrinsecus varios dolores compescat: *volatilium externus* usus promittit quidem *aliquando* in doloribus usum, sed hic *raro ingenuus* & *tutus* est, quia *stuporem* in affecta parte post se relinquit; neque etiam *sulphuris externus* usus *tutus* est, si *doloribus* opponitur, quoniam ad suspectas *retropulsiones* contribuit: hinc interdum rhevmatismi & *externi* spasmi in *internas inflammationes* convertuntur: *actu frigida* ad dolorum mitigationem adhibere & *stuporem* in parte affecta conciliare velle, *raro* tutum est, inde enim non nisi empirica & cæca *palliativa* cura emergit; *externus anodynorum* usus haud adeo *expedite* dolores refrenat ac *internus*, interim tamen *aliquam* utilitatem affert: ita etiam ad *ulcerum malignorum* & concurrentium dolorum emendationem & mitigationem nonnulli experti chirurgi laudant *topica anodyna* & ex illis *Tabacum*, quæ si *modeste* adhibentur, non *infructuosa* sunt: alia vero & quidem *potentiora* narcotica ut *Mandragora*, *solanum &c.* haud secura sunt: *mercurialia* non corrosiva doloribus ex *venereo* inquinemento ortis resistunt, neque etiam in cancro *dolorifico* contemnenda sunt: *corrosiva* vero in *omni* casu pro *dolore* mitigando sunt *suspecta*: Plura hac vice addere non placet, ad maximum *plurima* hactenus in Dolorum tractatione exposuimus: reliqua, quæ forte addi possent, B. L. commendamus: Et ita nunc DEO Benignissimo gratias humillimas devotissimasque persolvimus, quod nostris conatibus annuerit, quem subinde precamur, quo singulis nostris doloribus animi & corporis mederi, proinde etiam reliquos nostros labores gratia sua comitari velit, vt ipsius honor augeatur & proximi dolor avertatur atque ipsius utilitas promoveatur.



NOBILISSIMO
DOMINO
CANDIDATO
S. P. D.
PRÆSES.

EXoptatum omnique ſolatio plenum eſt Regium & Propheticum illud dictum Pſalmi *CXII. v. 4. Micat in tenebris lux juſtorum*, quo ipſo perſpicue indicatur, quod juſtis omnia ſint luculenta, aperta, utilia & ſalutaria, quod juſti in obſcuro & tenebris ambulare non poſſint, nam ipſe Jehova illorum lux eſt. *Joh. 8. v. 12. cap. 9. v. 5.* adeoque omni attentione & obſequio digna eſt adhortatio Salvatoris *Joh. 12. v. 35. ambulate dum eſt vobis lux, ut non tenebræ apprehendant vos, & qui ambulat in tenebris, non novit quo vadat: v. 36. dum eſt vobis lux, credite in lucem, ut filii lucis ſitis:* qui vero in luce ambulant, ambulant etiam in veritate; nam Chriſtus, qui lux eſt, eſt etiam

iam veritas: veritatem qui possidet & sequitur, nullam metuit calamitatem; calamitas enim plena est omnium dolorum; dolorum caterva licet premat genus humanum, humanum tamen non tam, quam divinum & præpotens est solatium *Rom. 8. v. 28. novimus, iis, qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum:* Bonum itaque est non expavescere dolores, maxime vero illos, quos salus consequitur: nemo enim coronabitur, nisi militet & quidem recte & strenue; hæc pugna vero cum multis doloribus est conjuncta: quid itaque metuamus dolores, si finis opus coronat: si itaque secundum *Senecam Epist. 5. Multa bona nostra nobis nocent*, ita vicissim multa, quæ nobis mala, incommoda & dolorifica sunt, salutem nostram promovent: per aspera ad astra. *Vires nunquam certam dare possunt fiduciam, nisi cum multæ difficultates hinc & illinc apparuerint, aliquando vero & propius accesserint* dixit *Seneca Epist. 13.* hinc difficultates, calamitates & dolores probant animum virilem: Et uti totus mundus plenus est doloribus, ut *Tertullianus* ipsum *Rempublicam calamitatum & dolorum* appellaverit, qui mundus dum allicit, decipit, dum ludit, illudit, dum arridet, irridet, dum reficit, interficit; ita illorum labor omnino approbandus est, qui dolorum indolem atque discrimen attente pervolvunt: Habent etiam medici suos dolores, quos partim observare & emendare, partim experiri debent: quod medicam Dolorum explicationem attinet, TU NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE præsente Inaugurali Dissertatione illorum indolem enodare & ad usum Pathologico-Practicum ducere laudabili omnino conatu

natu suscepisti, hoc ipso vero Specimine profectus Tuos in scientia & arte Medica declarasti: quemadmodum enim hactenus per aliquot annos eximio cum fervore Medico studio incubuisti, ipseque sub multiplici applicatione ad Practicum officium varios dolores & afflictiones morbosas hominum observasti, quin sub hoc ingenuo, indefesso, officioso & affectuoso negotio practico periculosos morbos petechiales & purpuratos in proprio Tuo corpore ipse expertus es, ita sub omnibus Tuis conatibus, mihi nunquam Benonin sive filius doloris, sed Benjamin videlicet filius spei, fidei, & justitiæ comparuisti, de quo arti medicæ multa bona & salutaria promittere licet; etenim Timor Dei cui curæ cordique est, quem forte latere potest, quod non pietas ad omnia utilis sit: Tu itaque cum hoc primario Christiani negotio, quod sub gratia divina strenue prosecutus, etiam Medicum studium pulchro ordine & laudando tenore conjunxisti, ita ut egregios omnino profectus in hoc studio assecutus sis, & Deo atque proximo cum multo emolumento inservire poteris: proinde singularis Tua modestia animique suavitas atque prudens continentia reliquos tuos profectus illustrant, ita ut sub hoc virtutum connubio, maxime vero sub divinæ benedictionis perpetuo concursu prosperos semper successus actionum Tuarum ominer: Age itaque & vires, quas Deus largietur, eo toto animo applicare perge, quo hoc ordine negotiis Tuis defungaris; sic nullus dubito, quin divina clementia probos & honestos Tuos conatus cum prospero semper & exoptato successu beet coronetque: & cum Collegio nostro

matu-

maturitatem & ubertatem Tuorum ſtudiorum abunde probaveris: ita etiam eadem approbamus: Gratulor eapropter de honoribus hiſce academicis & promerito publico Sigillo: imo cum de eo certus eſſe potero, quod Tu hoſce honores non in profanam oſtentationem, ſed in honorem Dei ſis applicaturus, ita ex animo etiam precor, quo omnes benedictionum divinarum fontes in Te largiſſime ſeſe effundant, ita poteris ex ore Pſalmiſtæ cum lingua fidei exclamare: *Jehova Paſtor meus, non poſſum egere:* neque ullus dolor Te poterit ſeparare à charitate Chriſti *Rom. 8. v.35.* donec poſt, faxit Deus, diuturnum & largum uſum omnis benedictionis & proſperitatis in his Terris, æterna beatitudine fruaris, ubi mors amplius non exſtabit, neque luctus, neque clamor, neque labor exſtabit amplius, quia præcedentia abierunt: *Apoc. 21. v. 5.* hæc Tibi Tuisque integro animo conſtanter apprecor. Vale. Dabam Halæ. d. VII. Iduum Decembris. A. O. R.
M. DCC. XX.

NOBILISSIMO CANDIDATO

HENRICO BECKERO

multam felicitatem

precatur

D. IOANNES IVNCKERVS.

QVem publicum ingenui amoris & lætitiæ teſtem tibi, AMICE, transmitterem, dum laurea doctorali hodie coronaris, hæſitare animo aliquantum cœpi. Quum enim in eiusmodi ſolemnibus ſplendidum verborum ornatum & ampliſſima encomia communiter proferant, ego, ne idem faciam, & tua modeſtia & iuſto pudore abſtineor. Quamquam etiam laudes tuæ & merita ſecundum rei veritatem poſſint efferri, aliis tamen, qui bene tibi cupiunt, id relinquo: ego autem cum pace tua omnia illa, quæ aſſiduis laboribus, ingeniique acumini, tamquam lætiſſimus fructus, tribui poſſent, in ſummum illud *prouidentiæ diuinæ arbitrium*, quod toties mutuis ſuſpiriis venerati ſumus, & in poſterum quoque venerabimur, ſubmiſſe deuoluam. Magis quid de te prædicem, neſcio. Nec dubito, quin hoc litterarum mearum argumentum actui tuo doctorali ſingularem plane ornatum adferre poſſit, ſi alios quoque modeſte excitauero, vt diuinum numen, quod a prima ſtatim iuuentute in hunc vſque diem mirifice tibi proſpexit, pio animo nobiscum venerentur. *Riga*, Liuonum metropolis, eſt, quæ, poſtquam in lucem te emiſiſſet, magnum tibi ſimul calamitatis campum aperuit. Sed *Riga* quoque eſt, in cuius gremio a clementiſſima Dei prouidentia tegi, atque in dies magis magisque firmari

cœpiſti

cœpisti. Vix enim lucem hanc adſpexeras, cum lectiſſima matre priuatus cœleſtis prouidentiæ nutui atque misericordiæ, tamquam firmiſſimo contra quosuis temporum inſultus propugnaculo, ſolus relinquereris. Hæc per grauiſſimos *belli* tumultus, quibus patria tua mox poſt natiuitatem tuam premebatur & adhuc premitur, ſartum tectumque ita te traduxit, vt per medias belli flammas hac duce feliciter transgreſſus, inuito licet marte, mineruam ſequi fauſto ſidere potueris. Immo cum ipſa Rigæ mœnia militum ſignis cingerentur, & diuturna *obſidio* millia hominum violenta morte abriperet, tibi in tentorio DEI occulto latitanti tormenta bellica ita pepercerunt, vt *globi ferrei*, qui numeroſiſſime in vrbem proiiciebantur, ac ſi mentem haberent, te ſaluum præteruolauerint. Magnus ſane hic eſt prouidentiæ diuinæ interpres, ſed plura, eaque maiora, prædicanda veniunt. Quibus belli flamma pepercit, horum plures nouæ calamitati ſeruatos perniciosiſſima *peſtis*, quæ poſt obſidionem per totam vrbem ſæuiebat, ſine diſcrimine trucidauit, tu vero inter paucos illos fuiſti, quos diuinum præſidium ſi non omnino incolumes, viuos tamen, eripuit. Quamquam enim & *parens* & *fratres*, præter vnicum, quem adhuc habes cariſſimum, & vniuerſum domus tuæ famulitium hoc atroci morbo interficerentur, immo hæc pernicies in proprium tuum corpus crudeliter ſæuiret, feliciter tamen, quae DEI clementia eſt, euaſiſti; haud vulgari, quamuis tunc demum futuro, iam autem præſente multorum ægrotantium ſolatio ſeruandus. Hi contrarii vitæ tuæ, quam diu in patria vixiſti, comites erant. Haec certiſſima teſtimonia ſunt diuini amoris, quo ſummus rerum arbiter te amplecti dignatus eſt. Idem hoc eſt, quod fideliſſimus tuus *præceptor* iam olim in te agnouit, cum memor obſequii tui atque pietatis in Deum vale tibi dicenti fauſtum diſceſſum his verbis precatus eſt: *abi, mi fili, in pace, monſtrabit tibi DEVS ſemitas ſuas, atque de multis bonis Halæ tibi proſpiciet.* Dictum factum iam tunc iudicandum erat. *Noua* quaſi erat vitæ *periodus*, quam peregrinum ſolum quærens

es

es exorsus; sed minime te reliquerunt antiqui illi vitæ tuæ comites, quorum inimicas alter, alter amicas auxiliatricesque manus iniicere tibi huc vsque consueuerant. Vix enim patriam reliqueras, cum *duplex* tibi *periculum* terra marique immineret: *mari* quidem, cum ingens procella classem nauium ita dissiparet, vt nulla spes vitæ conseruandæ adfulgeret; *terra* vero, cum procidens ex alto lignum, cranium percutiens, in terram te prosterneret; vtrinque tamen omnipotens DEI manus sospitem te conseruauit & in portum exoptatum perduxit. His casibus ereptus *Halam* cum venisses, nouum discrimen animo tuo obuersabatur, videlicet turpissimus *libertinismus* (si ita loqui liceat) & noxia impune quælibet audendi potestas, quam sibi datam musarum alumni peruerso animo autumant; nouæ profecto *syrtes*, contra quas animus, præcipue aduentantium, probe muniendus est. Hæc sentiens in itinere adhuc versatus ad cœlestem patrem suspiria præmittebas; vt tales offenderes sodales, in quorum consortio a seductione liber viuere possis. Has quoque preces ita clementer DEVS exaudiuit, vt primis statim diebus, præter omnem spem, in probos quosdam *conterraneos* incideres, qui vota tua, quantum in iis erat, salutariter expleuerunt. Hinc factum, vt talis breui tempore euaderes, quem hodie academia nostra quibuscunque suis alumnis tamquam singulare industriæ atque virtutis exemplum sistere possit. Sed ne apud nos quidem iniquus te deseruit itineris comes: cum enim iam in eo esses, vt studiis academicis colophonem imponeres, *febris acutissima*, qua post ingressum huius anni vehementer admodum corripiebaris, non quidem mortem adferre sed tantum te docere valuit, vt multifariis casibus atque periculis eductus ægrotantium vices dolere atque ita firmiore ratione *dissertationem* tuam *inauguralem de doloribus* defendere possis. Addam vero citra omnem sermonis fucum tribus tantum verbis, quæ magnum illum, qui nunc testandus erat, amorem in pectore meo erga te conciliauerunt, quæque ab omnibus bonis æstimatum iri facile præuideo. Extra semitas genuini in DEVM amo-

ris te numquam vidi, Studia maiore, quam ſanitati conducere viſum fuit, induſtria tractare conſueuiſti; ita quidem, vt frenum potius quam calcar tibi admouendum fuerit. Integritas animi omnium amicitiam tibi facile conciliauit, me vero præcipue arctius quoddam amoris vinculum duobus illis præſertim annis, quibus & muſei & praxeos medicæ cariſſimum te ſocium habui, arctiſſime deuinciuit. Hæc illa ſunt, AMICE dilectiſſime, quibus laudem tuam quodam modo illuſtrari aliis potius vtile, quam tibi iucundum putaui. Quæ dixi, non vt vane ſuperbires, ſed laudares potius ampliſſimam, quam ab ipſo ætatis flore veneratus es, DEI miſericordiam, alii vero ſtimulum imitandæ virtutis nanciſcerentur. Tandem cum per hodierna ſolemnia *tertiam* vitæ *periodum* auſpicatiſſimo omine ingrediaris, multa nobis præter omnem exſpectationem denuo obferuntur, quæ tamquam ſingularia prouidentiæ diuinæ teſtimonia æſtimanda ſunt. Noſtro quidem conſilio decretum erat, vt poſt acceptos honores doctorales mitiorem auram exſpectares, & ſub vernæ tempeſtatis auſpiciis *patriam* repeteres. Sed & hæc noſtra conſilia ſummum numen ſalutariter euertit, dum nouam tibi viam monſtrat, quæ te docet, vt tamquam Abrahami filius patriæ tuæ obliuiſci atque apud nos permanere debeas. Fallor ne? ſi dicam, multorum, a quibus dimittendus, immo, ſi noſtrum amorem reſpiciam, diuelleudus eras, vota largiſſime expleta eſſe. Itaque non tantum honores doctorales ſed & præcipue nouos hos prouidentiæ diuinæ fructus, qui fauſta quæque pollicentur, toto pectore tibi gratulor: hoc vnicum a ſupremo numine obteſtans, vt per reliquum vitæ ſpatium clemente ſuo nutu porro te ducat, quo ærumnoſum hunc vitæ curſum forti animo abſoluere & poſt transactos tandem labores æternum canere poſſis triumphum. Vale. Dabam Halæ Magdeburg. d. VII. Iduum Decemb. Anno M DCC XX.



**   *   **
*   **   *

SIc coram patefit, ſociali fœdere juncta
Mens proba quid valeant aſſiduusque labor.
Hicce facit medicos, qui clarent arte periti,
Illa facit Medicos, qui ſapienter agunt.
En te felicem! quem ſedula Muſa peritum,
Quem providum candor mentis in arte facit.
Nonne ſatis? ſatis eſt. Hinc Te comitabitur ingens
Numinis atque hominum gratia. Vive diu!

Hoc in qualemcunque ſui memoriam addit

A. WACHSMANN.
Tranſilv. Saxo. Med. Cult.

UNde brevi medicans ſapientia provenit? unde
BECKERO? ecce pios ſic juvat usque Deus!
Adſit is ipſe Tibi, cum Doctor, AMICE, crearis,
Porro velit, rogito, rebus adeſſe Tuis.

Hæc Pronobiliſſimo Domino Candidato gratulabundus apponit

C. M. Wiegand,
Med. Cult.

ERgo tuis Musis auctoramenta laborum
Dantur, & auratis laurea serta comis!
Quosque nec infausta debellas arte dolores,
His de compertis verba diserta facis.
Et mea pertenuis, tanta in gratante caterva,
Occinat occoeptis carmen avena tuis.

Gratulabundus adscripsit, suique benevolam memoriam Prænobilissimo Domino Candidato enixe commendare voluit

A. HOLTZKLAU,
Med. Stud.

QUum Tua dexteritas jam sit stipata virente
Lauro; sic gratans, apprecor hæcce Tibi:
Sis medicus geminus, geminataque sit Tua cura,
Et medicina omnis sit geminata Tua.
Scilicet ægrorum primo penetralia cordis
Sanes, & mitiges spastica rite mala.
Tum placare potes corpus, sæuosque dolores,
Qui cruciant ægrum, pellere forte licet.

Hisce paucis Honores bene promeritos experientissimi & nobilissimi Dn. Doctorandi debita gratulatione prosequi voluit; Ei deditissimus

JOANNES AUGUSTUS Arends,
Medicinæ Studiosus.

GRatulor ex animo dum frontem laurea cingit
Jam BECKERE Tuum: gratulor atque mihi.
Usus quippe Tuo semper constante favore:
Vnde Tibi grates pectore nunc refero.
Insuper exopto, DEVS ut Te porro gubernet:
Quo tandem maneat læta corona Tibi.

Hæc pauca gratulabundus addere voluit

JOH. JACOB. Schäffer,
Stuttgardia Würtenberg.
Med. Studiosus.

DUm finis objectum thesium nunc esse *dolores*,
Adprecor ut felix hos mitigare queas.
Auferat ipse DEUS sævi tormenta *doloris*,
Ne TUA coepta premat sors onerosa mali.

Sic prænobilissimo Domino Candidato, *in perpetuam sinceræ amicitiæ tesseram, applaudit*

JOH. PHILIPP. DANCKER,
Mœno Francof. Med. Stud.

QVid miri faciem lætam ſi teſtor AMICE
Tempore, quo fulgent ſidera fauſta Tibi?
Nam mihi ſincero coniunctus amore fuiſti,
A quo me Dominus tempore duxit Halam.

Hæc gratulabundo & obſtricto animi adfectu ſcribit

IOSEPHVS CHEER,
Medicinæ Studioſus.

SIc decet Heroes, generoſaque corda virorum!
Qui pulchras renuunt laudes, palmasque recuſant,
Donec eas varia merito mercede pararint.

Pauca hæc laureæ Doctoralis Candidato digniſſimo, Amico colendiſſimo ex animo gratulaturus raptim fudit

J. T. M. Medic. Studioſ.

